



SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV. ANG.
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE
RI
TAS



DE

CODICE BLANDINIO ANTIQVISSIMO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM JENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS


PAVLVS HOEHN

ILMENAVENSIS

Jenae

TYPIS FROMMANNI (H. POHLE)

MDCCCLXXXIII


DEC 8 1900
LIBRARY.

Prooemium.

Jacobus Cruquius litterarum apud Brugenses professor publicus, cum iam complures annos opera in Horatii carminibus interpretandis navata tandem in bibliotheca monasterii Benedictorum S. Petri in monte Blandinio prope Gandavum siti consecutus esset quattuor vetustos codices Horatianos, hoc potitus firmo atque solido crisis fundamento primum singulos tum omnes Horatii libros in lucem emisit [1]). Quas editiones ita instruxit, ut primo loco textum, quem vocamus, Horatii carminum exprimendum curaret, altero scholia, quae in variis codicibus margini adscripta invenerat, in unum congereret, tertio cum ipsa poemata copiosius explanaret tum passim varias lectiones proferret atque iudicaret. Ex illis autem, quos supra commemoravi, codicibus unum propter vetustatem ad Horatii versus emendandos summa auctoritate esse Cruquius penitus persuasum habebat. — Iam cum paulo post quam ille vir doctus ex his codicibus fructum suum percepit eosque ad sedem suam remisit, miserabili clade factum esset, ut bibliotheca Blandiniana ab iconoclastis, qui dicuntur, cum ipsis manuscriptis incendio deleretur, nihilo minus praeclarissimus ille artis criticae conditor R. Bentleius et lectiones a Cruquio ex Blandinio illo codice vetustissimo prolatas tanti aestimandas et illius viri diligentiae ac fidei tantum tribuendum censuit, ut sibi a libri illius scripturis nisi necessitate coacto non esse discedendum

1) Editio quarti carminum libri a. 1565 foras data descripta est a C. Zangemeistero in Mus. Rhen. vol. XIX, p. 321—339. — De reliquis editionibus cf. Muetzellii dissertationem in diar. gymn. Berol. a. 1855, p. 850 ss. et Schweikerti Cruquiana, M.-Gladbach, 1879.

existimaret. Quam sententiam etiam recentioris aetatis viri docti, ut Lachmannus, Meinekius, Ritschelius, M. Hauptius, Dillenburgerus, L. Muellerus, secuti codicem Blandinium vetustissimum unice verum atque solidum omnis Horatianae crisis fundamentum esse censuerunt. Cuius iudicii acerrimi obtrectatores exstiterunt primus Th. Bergkius [2]), tum Horatii editores Kellerus [3]) et Holderus, qui Cruquii diligentiae adeo non fidem adiungendam contenderunt, ut hunc virum saepius meras coniecturas vetustissimi codicis Blandinii auctoritate fulsisse suspicarentur. — Nec tamen defuerunt, qui et Cruquii integritatem et codicis Blandinii naturae praestantiam constanter defenderent, quorum in numero referendi sunt C. Zangemeisterus (l. l.), Dillenburgerus [4]), W. Mewesius, qui nuperrime codicis V, qui dicitur, propugnator exstitit [5]). Is enim cum merito Kellerum vituperaret, quippe qui paucas tantum illius libri, cuius auctoritatem impugnare studeret, scripturas afferre satis duxisset, omnes Blandinii codicis lectiones congerere atque iudicare sibi proposuit. Quam veram codicis V iudicandi rationem esse quamquam nemo erit, qui neget, tamen R. Kukula [6]) neque omnes lectiones codici V assignandas a Mewesio congestas et permultas ex iis, quas Mewesius composuisset, codici Blandinio vetustissimo non tribuendas esse condendit.

Quibus rebus expositis denuo mihi in hanc quaestionem inquirenti nemo erit, qui rem actam a me tractari obiciat. Itaque in priore huius dissertatiunculae capite omnes codicis V

---

2) cf. philol. Thesen, in Philol. vol. XIV, p. 389.

3) Mus. Rhen. vol. XVIII, p. 281—283. ibid. vol. XIX, p. 634—637. — Deinde in unaquaque fere pagina eius libri, qui inscribitur „Epilegomena zu Horaz", Leipz. 1879.

4) „Die Blandinischen Horatius-Handschriften von Cruquius", in diar. gymn. Berol. a. 1881, p. 321—349.

5) „De codicis Horatiani, qui Blandinius vetustissimus vocatur, natura atque indole" (in Gymnasii Werderani Berolinensis dissertationum collectione anni 1881), et „Ueber den Wert des Codex Blandinius vetustissimus für die Kritik des Horaz", Berlin 1882.

6) cf. Philol. Rundschau, 1882, No. 32, p. 1001—1007.

scripturas congeramus[7]), in altero ex iis ipsius libri naturam atque indolem iudicemus.

I.

Quaenam lectiones in codice V fuerint, excutiatur.

§ 1.

Primum quidem, ut certa disputationis fundamenta ponamus, quibus ex fontibus codicis V lectiones hauriri possint, exponendum est.

Fuerunt enim viri docti, quibus Blandinium codicem antiquissimum non modo a Cruquio, verum etiam antea a Petro Nannio Alcmariano, qui in Miscell. capp. III. et IV. scholia et scripturas e vetusto quodam codice Blandinio publici iuris fecisset, inspectum fuisse persuasum esset. Atque ut alios omittam, copiosius primus, quod sciam, de hac re disseruit Muetzellius (l. l. p. 873—874), cui propius ad veritatem accedere videbatur is, qui Nannium et Cruquium ex eodem codice Blandinio fructus percepisse affirmaret, quam qui contra faceret. Quam sententiam cum Duentzerus[8]) multis argumentis diluere atque Nannium non uno ex quattuor Cruquii codicibus sed quinto quodam usum esse Blandinio demonstrare studeret, Hirschfelderus (Quaest. Horat. spec., Berol., 1862, p. 3—8) mediam quandam viam ingressus Nannium non Cruquii codicem, quem vocat vetustissimum, sed unum ex tribus aliis inspexisse putavit. Denique nuperrime Franciscus Matthias (Quaest. Bland. capita tria, Hal. Sax. 1882, p. 1—28) novis argumentis permotus est, ut Muetzellii sententiam amplecteretur. Itaque in tanta sententiarum varietate cum omnia omnium argumenta proferre longum sit, quid de hac re satis lubrica certe scire possimus, paucis exponere satis duco. —

---

7) Usus sum Cruquii editione a. 1578, adhibitis duabus aliis annorum 1597 et 1611.

8) cf. Annal. Fleckeis. a. 1856, p. 799. — diar. gymn. Berol. a. 1857, p. 927—937. — ibid. a. 1864, p. 876—878.

Atque quae Cruquius et Nannius ipsi de manuscriptis, quibus usi sunt, posteritati prodiderunt, in hac quaestione solvenda summi momenti esse apparet. Cruquius igitur in praefatione editionis a. 1565, p. 6 haec verba fecit: „. . . . adeo ut non iniuria Petrum Nannium, virum inprimis eruditum, dixerim deterritum, praesertim aetate iam ingravescente, ab editione Acronis, quam in suis miscellaneis ex eisdem codicibus aliquando pollicitus est Horatii studiosis". His igitur ex verbis Nannii codicem Blandinium fuisse unum ex Cruquianis luce clarius efficitur, quamquam impugnatur hoc argumentum a Duentzero affirmante Cruquium, num inter codices suos fuisset liber Nannii, scire non potuisse, quia ille codicis habitum nullo verbo descripsisset; praeterea valde esse mirum, quod Cruquius de quattuor codicibus dixerit, cum Nannius unum tantum habuerit. Sed nisi omnis scientiae pervestigationis fundamenta pervertere volumus, simplicissimis atque certissimis Cruquii verbis tantum tribuere liceat necesse est, ut inde Nannii codicem inter Cruquianos fuisse colligi possit. Neque enim, unde hoc ipsum Cruquius compertum habuerit, nostrum est eruere, sed in ipsis verbis acquiescendum erit [9]). Porro alterum Duentzeri argumentum vim habet prorsus nullam, quia Cruquii verba parum accurata ex dicendi quadam neglegentia orta videntur. — Huc accedit, quod Matthias (l. l. p. 12—28) Nannium et Cruquium permulta scholia ex eodem fonte hausisse recte demonstravit. Itaque cum Nannii codicem Blandinium unum fuisse ex Cruquianis probatum sit, quaeritur, utrum fuerit Cruquii antiquissimus an unus ex aliis tribus. Ac Matthias quidem (l. l. p. 3—6) cum Horatii vitam a Nannio editam ex Cruquii codice Blandinio antiquissimo haustam esse argumentis non contemnendis exposuerit, etiam scholia, quae Nannius edidit, illi libro deberi putat. Quod ut statuamus, necessarium non esse inde apparet, quod Nannius vitam illam non in vetusto

9) Cruquius cum codices, quibus usus est, Blandinios Roma Gandavum translatos esse cum lectoribus communicaret (p. 647), quinam fuissent varii eorum casus, nescio a quo, accurate exquisivisse videtur.

illo codice, ex quo scholia, descripsisset, sed omnino in bibliotheca Blandiniana a se repertam esse professus est (p. 72)[10]. Immo vero quem Nannius inspexit codicem non fuisse Cruquii antiquissimum plane haec Nannii verba docent (p. 89): „vetus codex nil nos in Sermonibus adiuvat: nam praeter ipsa carmina Horatii nihil habet". Quae verba ita intellegenda esse, unde Nannii codici in Sermonibus scholia adscripta non fuisse statuatur, Muetzellius (l. l. p. 873—874) et Hirschfelderus (l. l. p. 6) haud dubium reliquerunt. Itaque cum Cruquius saepius ad Sermonum libros Blandinii vetustissimi scholia protulerit (cf. ad s. I, 10,28; II, 3,208; 6,36), hunc et Nannii codicem non eundem fuisse manifestum est. Quibus rebus expositis Nannii librum unum ex aliis tribus Cruquii Blandiniis fuisse statuendum censeo. Huc accedit, quod Cruquius ad ep. I, 5,1 (p. 530, a) haec adnotavit: „in adnotationibus unius Blandinii, ex quo commentatorem magno studio descripsimus, vidi etc." Itaque cum paulo infra per Cruquii verba „unus Blandinius" non intellegendum esse antiquissimum sed unum ex reliquis demonstraturi simus, a Cruquio scholia illius Blandinii ea de causa magno cum studio excerpta esse probabile videtur, quia permulta praebebat, quae in aliis non exstabant. Quoniam igitur Matthias ea scholia, quae Nannius et Cruquius ex eodem libro hauserunt, a vulgatis saepissime discedere atque paucissimis tantum servata esse ostendit codicibus, ut Barcellonensi, Parisino 7975, vetere Ambrosiano, verisimillimum est a Cruquio et Nannio ea sumpta esse ex codice illo Blandinio, unde Cruquius se adnotationes magno studio descripsisse profiteatur. —

Sed etiam nunc unum est, quod sententiae nostrae obstare videatur. Nam tametsi Nannius (p. 83) in vetere suo codice ad c. IV, 14,11 pro ‚Brennos' fuisse dicit ‚Bremos' et (p. 87) ad art. poet. v. 193. ‚auctoris' pro ‚actoris', Cruquius priore loco in Blandiniis se legisse ‚Breunos' profitetur, altero loco in omnibus codicibus suis ‚actoris'. Quam testimoniorum dissensionem cum tolli quodammodo posse putem, non tam gravem eam duco, qua nostra sententia prorsus refellatur. Nannio enim, qui, cum de codicis

10) Usus sum Miscellaneorum editione a. 1548.

lectione a vulgata abhorrente disserat, certe diligenter, quid codex praeberet, exquisiverit, error tribuendus non est. Ergo Cruquius erravit. Et demonstravit Matthias (l. l. p. 52—72) Cruquium saepissime aliquam lectionem velut in omnibus suis codicibus repertam proferre, quae non in omnibus fuisset, ita ut non omnes semper ab eo inspectos esse codices appareret. Verumtamen animadvertendum censeo Cruquium certe semper codicem adiisse Blandinium antiquissimum, quippe quem ceteris omnibus antiquitate multo praecellere persuasum habuerit, neque ullam lectionem in omnibus codicibus esse profiteri, nisi fuerit etiam in antiquissimo (cf. infra § 8). Itaque scripturae illae ‚Bremos' et ‚auctoris' exstitisse videntur in eo ex aliis tribus Blandiniis libro, ex quo Nannius et Cruquius scholia descripta foras dederunt. Idcirco hac quoque ratione Nannium non habuisse codicem V valde fit probabile.

Quibus rebus expositis cum Horatii vita a Nannio e codice V, scholia ex alio, qui tamen inter Cruquianos fuit, sumpta videantur, ad codicis Blandinii antiquissimi lectiones congerendas ex Nannii Miscellaneorum libro fructum percipi non posse satis est in aperto. —

§ 2.

Collecturi Blandinii codicis antiquissimi lectiones quoniam reiecti sumus ad ipsius Cruquii editiones excerpendas, quibusnam potissimum earum partibus proficiatur studiis nostris, videamus.

Ac primum quidem totum illud scholiorum corpus, quod ex variis libris scriptis necnon antiquis editionibus (cf. Matthiae diss. p. 29—51) congestum a Cruquio inscribitur Commentator, cum quid ex illa congerie singulis codicibus et imprimis Blandinio antiquissimo debeatur, discerni iam nequeat, nullum nobis praebet fructum.

Porro Cruquius in editionibus Horatii curandis non tam versuum contextum, quem iam ‚integritati restitutum' putaret (cf. praef. ed. a. 1565, p. 8), emendandum sibi proposuit, quam id egit, ut bonos atque utiles commentarios conscriberet. Quo factum est, ut priores tres carminum libros secundum codices

suos non emendaret, sed ex Pulmanni editione a. 1577 non mutatos recudi curaret (cf. Zangemeister l. l. p. 332), et lectiones, quae ei dignae videbantur, ut in contextum versuum reciperentur, in editione a. 1578 post praefationem ad lectorem benevolum scriptam in unum congereret. At reliqua Horatii scripta, quantum equidem iudicare potui [11]), non integra ex aliis editionibus recepit, sed multis locis mutavit atque correxit. Verum tamen cum permultae in iis exstent lectiones, quae quamquam improbantur a Cruquio in adnotationibus, servatae sunt in contextu, et aliae, quae in textu non leguntur, etsi sint commendatae in adnotationibus, Horatii scripta praeter illos, quos supra memoravi, carminum libros, non prorsus ad Cruquii iudicium correcta esse apparet. — Nec quidquam valet haec res ad eam, quam nos tractaturi sumus, quaestionem; nam Muetzellius errasse mihi videtur suspicatus (l. l. p. 860) ex contextu Horatii Cruquiano Blandinii vetustissimi erui posse lectiones, quas Cruquius auctoritate illius codicis non expresse commemorata quasi ex silentio contextui inseruisset. Nam etsi reperiantur in eo lectiones in nulla editione exstantes, tamen eas in codice V fuisse nullo modo probari potest. Quae cum ita sint, nusquam codicis V lectiones nisi in ipsis Cruquii adnotationibus indagari possunt.

§ 3.

Negotium codicis V lectiones e Cruquii adnotationibus colligendi sine ulla difficultate ad finem perducere possemus, si ille vir doctus semper certa ac definita codices notandi ratione usus esset. Sed tam vario modo et nonnunquam tam incertis verbis lectiones protulit, ut quaenam omnino scripturae codici antiquissimo assignandae sint, saepissime valde sit in dubio. Circiter enim centum quinquaginta lectiones disertis verbis Cruquius codici Blandinio vetustissimo tribuit;

---

11) Conferre potui has editiones: Ascensianam a. 1516. — G. Fabricii Basileensem a. 1555. — Aldinam cum Mureti adnotationibus a. 1555. — Lambini a. 1577. — Henr. Stephani a. 1577. — In Epistularum libris Horatianus, qualis apud Cruquium legitur, textus vel proxime accedit ad Ascensianam.

in omnibus codicibus a se repertas esse profitetur ducentas fere et nonaginta; in omnibus vel in quattuor Blandiniis plures quam centum et sexaginta, in tribus Blandiniis quinquaginta quattuor; plures quam quadraginta in duobus; octoginta fere in uno Blandinio. Praeterea decem tertii, decem quarti codicis Blandinii commemorat scripturas; nonnunquam simplici compendio ‚Bland. habent' aut ‚Bland. habet' utitur. Denique quattuor lectiones in omnibus fere codicibus fuisse dicit.

Iam quae in antiquissimo Blandinio, aut in omnibus codicibus, aut in omnibus vel quattuor Blandiniis Cruquius se legisse affirmat lectiones, quin recte codici V assignandae sint, nemo dubitabit. Reliquae autem omnes sunt incertae.

§ 4.

Mewesius (de codicis Hor. etc. p. 60) praecedente Hirschfeldero (l. l. p. 23) negavit Cruquium ullo loco *unius* Blandinii afferre scripturam, nisi esset antiquissimus. Quam ad sententiam confirmandam ne unum quidem argumentum protulit, sed quae huic rei obstare viderentur non tam gravia esse putavit, ut suam sententiam redderent improbabilem. Qua in re cum illis viris doctis facere non possum, sed quae isti opinioni nulla ratione stabilitae obluctantur, satis gravia duco, ut eam prorsus diluant.

Ac si quomodo Cruquius ipse de lectionibus *unius* Blandinii iudicasset, semper sciremus, inde fortasse concludendum esset, utrum codici V, quem vetustate atque integritate aliis tribus Blandiniis multo praecellere credidit, essent assignandae necne. Sed praeter paucos illos locos, ubi disertis verbis eiusmodi lectiones aut probavit aut reiecit, semper nimis incerte quid ipse de scripturis sentiret, exposuit. Iam cum ex ipso versuum contextu de Cruquii iudicio quidquam concludi non possit, reiecti sumus ad quattuor carminum libros. Quorum in textu cum quid mutatum vellet, in editione a. 1578, ut supra memoravimus, conscripserit, aliis omnibus locis, ad quos „novae", quas vocat, lectiones non adnotantur, quae in contextu

leguntur comprobari a Cruquio licebit colligere. Quae cum ita sint, quot lectiones *unius* Blandinii in quattuor carminum libros receperit, quot refutarit, haud difficile erui poterit. Atque *unius* Blandinii scripturam sibi displicere diserte affirmat ad c. I, 27,18; II, 19,20; III, 15,16; IV, 5, 7. Praeterea tredecim locis *unius* codicis lectionem a Cruquio non comprobari e contextus scriptura abhorrente elucet: c. I, 19,12; 31,14; II, 2,13; 4,6; III, 4,38; 4,51; 5,51; 6,30; 23,19; 26,9; 27,4; IV, 2,7; 5,7 [12]). Habemus igitur septendecim *unius* Blandinii lectiones, quae a Cruquio spernuntur, sed tres tantum, quae comprobantur: c. I, 35,39; 36,1; II, 14,5. Sin eandem vel similem rationem inter *unius* Blandinii lectiones a Cruquio probatas et improbatas etiam in aliis Horatii libris fuisse statuamus [13]), fieri vix potuisset, quin Cruquius bene de codicis V natura existimare desineret, si revera illas scripturas in hoc codice repperisset. Contra vero paucas illas lectiones, quas ex *uno* Blandinio excerptas contra aliorum librorum consensum comprobat, certe Blandinii antiquissimi auctoritate fulsisset, si huic debuisset (cf. ad c. II, 14,5; ep. 9,17; 12,22; sat. I, 4,112; 5,1; 10,68; sat. II, 3,96; 3,212; 3, 322; a. p. 349). Tum si Mewesius (l. l. p. 60) etsi tres locos (sat. I, 2,97; II, 3,4; ep. II, 2,216) [14]) suae opinioni repugnare videri minime neget, tamen cum alium nullum locum invenerit, qui sententiae suae non congruat, omnes *unius* Blandinii lectiones codici illi antiquissimo assignare non dubitat, difficultates sententiae suae oppositas male neglexit. Nil dico de Cruquii verbis ad sat. II, 3,4 adnotatis, quippe quae difficultate quodammodo liberari posse ipse demonstraverit. Sin idem vir doctus fieri posse negat, ut verba,

---

12) Cruquii verba ad c. III, 6,22, quippe quae multum dubitationis habeant (cf. Muetzell. l. l. p. 863) prorsus omittamus.

13) Saepissime etiam in adnotationibus ad Epodorum, Satirarum, Epistularum libros unius Blandinii lectionem plane reiecit. Eiusmodi loci sunt: ep. 10,7; 11,4; 16,8; sat. I, 2,81; 3,56; II, 1,31; 6,84; 7,80; ep. I, 1,6; 6,50; 14,11; a. p. 7.

14) Omisit Mewesius hunc locum: a. p. 294. „praesectum. sic legunt duo cod. Bland., unus cum antiq."

quae Cruquius fecit ad sat. I, 2,97 et ad ep. II, 2,216 male intellegantur, non minus recte ei opponi potest eadem hac proferendi ratione demonstrari etiam aliis locis per verba ‚unus Blandinius' non antiquissimum sed unum ex aliis tribus esse intellegendum. Porro quid dicamus de commemorandi genere, quale legitur ad sat. II, 1,17 (p. 410, b): „in uno ex codicibus Bland. habetur haec lectio *aut mihi deero* etc."? Nonne pro certo affirmari potest hic Blandinium vetustissimum non esse dictum? An quis est, qui Cruquium tam incertis atque obscuris verbis usum lectionem codicis illius aestimati a se maximi publici iuris facere voluisse credat? Similis locus est c. IV, 2,7 (p. 217, b): „*fervet.* unus codex hic habet *fervit.*" Quo loco quamquam ne Blandinius quidem codex nominatur, tamen Mewesio haec lectio codici V adscribenda videbatur. At vero Mewesium ne ab opinione sua discedere cogeretur, etiam contra ipsius iudicium *unius* Blandinii scripturam codici V imputasse docent, quae a Cruquio adnotata leguntur ad c. III, 27,4 (p. 203, b): „*fetaque.* unus Bland. habet *paestaque*, alius Bland. *fertaque.*" Quo in versu etsi codicem V exhibuisse ‚fetaque' non modo mihi sed etiam Mewesio probabile videatur (cf. eius adn. l. l. p. 65), tamen ‚paestaque' in codicis V lectionum numero referre minime dubitavit. — Age vero videamus alios duos locos, qui Mewesii sententiae vehementissime obluctantur: ep. I, 6,50 (p. 537, a): „*laevum latus.* sic scriptum inveni in Mart. et Sil. cod. in Tonsano *saevum* et supra notatum *saeve.* in uno ex. Bland. *saevum* i. e. ultra mensuram. verum cum doctorum consensu sequor antiqua scripta." Deinde cf. ad c. I, 27,18 (p. 61, b): „omnes, quos vidi scripti lib. habent *ha,* praeter unum Bland., in quo scriptum est *ah,* sed non sine litura. et quia haec, quae tractantur, amatoria sunt, iocosa et ludicra nec multum dolenda, secutus sum scripta potiora." — — Denique si iam lectiones unius Blandinii esse codicis V statuamus, cur Cruquius, cum tam saepe ipsum codicem Blandinium antiquissimum disertis verbis commemorarit, nonnunquam illo dubio proferendi genere sit usus, intellegi vix possit.

Attamen is, qui ex eis, quae hac paragrapho exposui, omnibus locis, quibus Cruquius non modo *unius* Blandinii sed

etiam alteram lectionem aut in reliquis Blandiniis aut in aliis omnibus codicibus servatam adnotaverit, hanc vere esse scripturam codicis V concludat, nescio an nonnunquam per errorem labatur. Nam si quis Cruquium interdum verbis „unus Bland." quasi compendii loco usum esse contendat pro „Blandinius vetustissimus solus" refutari forte nequeat. Itaque omnes huiusmodi loci sunt admodum obscuri ac prorsus neglegendi. —

§ 5.

Inde a carmine decimo tertio libri secundi usque ad quarti libri finem a Cruquio semper tres tantum codices Blandinii commemorantur. Quae res cum per se iam viros doctos ad opinionem adducere possit in uno ex Blandiniis lacunam fuisse (nec tamen in antiquissimo, cuius scripturae saepius in illis libris proponuntur), Mewesius hanc sententiam etiam aliis argumentis non contemnendis fulcire studuit. Cruquius enim in praefatione editionis quartum carminum librum continentis, quae anno 1565 in lucem prodibat, cum ex bibliotheca Blandiniana quattuor vetustos codices se consecutum esse dixerit, in quibus omnibus adnotationes margini adscriptae fuerint, tamen trium tantum codicum scholia in editionem suam se recipere potuisse aperte profitetur. Quibus ex verbis unum ex illis codicibus in hoc carminum libro defecisse haud temere concludendum erit. At vero nil dico nisi in quarto carminum libro fuisse lacunam. Certe enim Mewesius cum lacunam inde a c. II, 13 exstitisse statueret, plura contendit, quam quae probare potest, id quod statim plane perspiciemus, si omnes a c. II, 13 usque ad carminum finem locos, quibus lectiones trium tantum codicum Blandiniorum auctoritate commendatae proferuntur, congesserimus. Jam in altera secundi libri parte unus eiusmodi locus reperitur (19, 15), in tertio quattuor (1,43; 2,10; 10,6; 30,12), in quarto quindecim (1,11; 2,3; 36; 49; 3,14; 5,12; 14; 8,1; 8; 12; 14,10; 11; 26; 28; 15,10). Praeterea omnino trium tantum Blandiniorum fieri a Cruquio mentionem ex ipsius verbis apparet ad decem lectiones, ex quibus una legitur in secundo (18,8), una in tertio (1,43), octo in quarto libro (1,20; 5,7; 34: 9,52; 13,14; 15,7; 15,11; 18). Habemus igitur

eiusmodi locos duos in secundo, quinque in tertio, viginti tres in quarto libro. Quibus rebus expositis cum in quarto carminum libro unum Blandinium fuisse laceratum nemo fere sit negaturus, hoc ipsum minime contendi potest de secundo et tertio libro, quippe cum e duabus vel quinque locis nihil argumenti sit petendum. Ac ne mirandum quidem est, quod inde a c. II, 13 usque ad tertii libri finem nusquam quattuor Blandinii commemorentur. Nam cum saepissime Cruquius de omnibus codicibus vel de omnibus Blandiniis dixerit, per haec ipsa verba quattuor Blandinios intellegi posse nemo infitiabitur. Itaque in uno quarto carminum libro defecisse quendam Blandinium statuendum videtur. — Proinde quae a Muetzellio (l. l. p. 876—877) et a Zangemeistero (l. l. p. 326, adn. 4) contra hanc sententiam prolata sunt, paucis a me refellenda puto. Epodorum enim in editione a. 1567, p. 18 Cruquius eos, qui Epodorum librum habendum esse pro quinto carminum arbitrentur, his verbis redarguit: „huic opinioni obluctantur codices quattuor Blandinii antiquissimi una cum duobus codicibus Buslidianis et Carrionis cod., in quibus odas quattuor librorum invenimus digestas per suas classes, quantum ad argumenti rationem pertinet: nam aliae dicuntur Eroticae, aliae Encomiasticae, aliae Paraeneticae etc.“ Quae verba sententiae a me defensae ideo mihi obstare non videntur, quia Cruquii hoc loco id tantum intererat, ut Epodos a carminum libris diiungendos esse ostenderet. Quare qui quanta esset Cruquius dicendi neglegentia usus recte perspexerit, illis verbis non tantum tribuet, unde in Blandiniis omnibus omnes carminum libros fuisse descriptos colligendum sit. Itemque etiam, quae Zangemeisterus ex primae editionis praefatione (p. 7) sententiae nostrae opposuit, verba argumenti loco sumenda non esse nemo erit, qui neget. Cruquius enim se cum ad quartum Carminum librum recensendum pervenerit, quattuor vetustos codices esse nactum profitetur, non autem in omnibus quartum librum fuisse contendit. Porro altero, quem Zangemeisterus attulit loco nihil aliud legitur nisi in quattuor Blandiniis adnotationes margini adscriptas fuisse, quae verba ad nostram sententiam confirmandam permultum valere iam supra vidimus. Denique alterum Muet-

zellii argumentum, quippe quod petitum sit e Cruquii adnotatione ad c. III, 14,11 adscripta, etsi non probem, tamen cum in quarto tantum libro lacunam statuerimus, liceat mihi silentio praeterire. —

Quae cum ita sint, in quarto Carminum libro quascunque lectiones in tribus Blandiniis exhibitas Cruquius promulgavit, codici V assignandas esse apparet, id quod eo videtur verisimilius, quia Cruquius e quindecim eiusmodi scripturis duas tantum tamquam pravas reiecit (5,14; 14,28), unam (2,3), cum in contextum recipiendam eam non suaserit, improbare videtur, septem (1,11; 2,36; 5,12; 8,1; 12; 14,11; 26) disertis verbis comprobat, quinque, quae in textu servatae sint, pro genuinis habere videtur (2,49; 3,14; 8,8; 14,10; 15,10). —

Verum cum etiam ad reliqua Horatii scripta haud raro trium tantum lectiones codicum Blandiniorum a Cruquio proponantur, Muetzellius, si in Carminum libro quarto unum e Blandiniis defecisse statuatur, hoc ipsum etiam aliis omnibus locis, quibus trium Blandiniorum mentio fiat, colligendum esse animadvertit, quare fieri non posse, quin ad absurdum perducamur. Sed cum in uno quarto Carminum libro viginti tribus locis tres commemorentur Blandinii, in ceteris omnibus Horatii scriptis, quae illum duodecies fere ambitu superant, undetriginta tantum eiusmodi locos inveniri monendum censeo [15]). Quare ea de causa a Cruquio has lectiones prolatas esse puto, quia a vulgatis discedebant.

Nec tamen ex hac re concludendum est eam scripturam, quae aliena est a tribus Blandiniis, codici V esse assignandam. Nam utrum Cruquius nonnunquam per tres Blandinios codicem antiquissimum complexus sit necne, expediri iam nequit.

---

15) Sunt hi: c. I, 6,16; 7,17; 19,11; 35,39; II, 18,8; 19,15; III, 1,43 (bis); 2,10; 10,6; 30,12; ep. 16,17; sat. I, 1,73; 83; 10,41; 44; II, 2,3; 3,1; 292; 6,54; 7,20; 7,49; ep. I, 1,44; 6,31; 34; 15,24; 18,19; ep. II, 2,70; a. p. 114. — Aliis omnibus locis, ubi tres Blandinii commemorantur, cum Cruquius etiam ceterorum codicum lectionem proferat, per hos eum quartum quoque complecti potuisse, satis est in aperto (cf. c. I, 16,22. sat. I, 5,3. al.)

Itaque in codice V iudicando tales lectiones respiciendae non erunt et male Mewesium fecisse contendo, quod ex eis locis, ubi lectiones trium Blandiniorum afferuntur, vetustissimi codicis scripturam eruere conatus est. Itemque in quarto Carminum libro, vel ut voluit Mewesius, ab Odarum libri secundi carmine tertio decimo usque ad quarti finem, quibuscunque locis duorum Blandiniorum scripturae adnotatae leguntur, eae, quae ab illis discedunt, num codici V sint tribuendae, valde in dubio est. Neque enim quidquam valet argumentum Mewesii haec affirmantis: „Quodsi quas lectiones in uno Blandinio a se repertas Cruquius protulit, eas Blandinio vetustissimo deberi persuasum habemus, sequitur, ut omnes scripturae, quae ex tribus vel in carminibus inde a II, 13 ex duobus notatae sunt, a Blandinio vetustissimo fuerint alienae; id quod eo est verisimilius, quod inter triginta fere lectiones hac ratione notatas vix una est, quae tam vetusto codice sit digna." Nam his, quae modo protuli, verbis Mewesius id, quod demonstrandum erat, iam demonstratum statuit. — Attamen idem vir doctus ex iis omnibus locis, quibus, cum trium codicum Blandiniorum proferantur lectiones, alteram ab illa abhorrentem codici V adscripsit, tres censet eximendos (l. l. p. 61). Sunt autem hi: sat. I, 10,41 (p. 403, b); sat. II, 7,49 (p. 498, a); ep. I, 18,19 (p. 581, a). „Namque, inquit, cum hic utriusque scripturae testes producantur, fieri non potuisse videtur, ut codex V plane omitteretur, quam ob rem aut tres in quattuor esse mutandum, aut unum codicem his locis defecisse statuo." Verum primum Cruquii verba mutanda non sunt. Tum si Mewesius unum Blandinium lacunosum fuisse statuit, has lectiones in earum numerum non erant recipiendae, quae codici V debentur, nam fieri potuit, ut etiam codex vetustissimus nonnunquam deficeret, vel, id quod multo mihi videtur probabilius, vetustate ac frequenti usu obscuratus esset. Quare quid illis locis in codice V fuerit, expediri non potest. —

§ 6.

Jam ut ad aliam quaestionem transeamus, decies *tertius* Blandinius (c. I, 14,1; II, 18,8; III, 24,4; 27,7; IV, 1,20; 15,7; 15,11; 18; sat. I, 1,108; a. p. 114) commemoratur, decies *quar-*

tus (c. I, 32,1; ep. 1,21; 6,1; 15,23; 17,78; sat. I, 1,108; 4,25; ep. I, 11,22; 13,14; 18,15). Quaerendum igitur, num ille *tertius* aut *quartus* idem sit atque antiquissimus. Ac tribus quidem locis a vetustissimo aperte discretus est *tertius* (c. III, 24,4; 27,7; sat. I, 1,108), semel *quartus* (ep. I, 18,15). Attamen *quartum* eundem esse atque antiquissimum plane dicitur ad sat. I, 1,108. Sane hoc pro certo constat Cruquium non certa codices numerandi ratione usum esse, ut nos facere solemus. Quamquam igitur Muetzellius (l. l. p. 876) cum saepissime tres reliqui ab antiquissimo discedant, naturali quodam instinctu factum esse putat, ut Cruquius Blandinium vetustissimum vocaret *quartum*, equidem illud *quartus* nihil aliud esse puto nisi *unus*. Nam cum nusquam legatur, nisi antea tres iam codices Blandinii commemorati sint, naturali dicendi usu factum credo, ut eum, cuius nondum protulerat lectionem, appellaret *quartum*. Adeo enim non puto, eum, quem Cruquius vocat *quartum*, codicem esse vetustissimum, ut Cruquium per *quartum* nunquam significasse antiquissimum affirmem, quia eo solo loco, ubi intellegi vult codicem V, expresse hoc ipsum adiecerit (sat. I, 1,108).

Idem censeo de iis lectionibus, quas *tertio* codici Blandinio deberi Cruquius auctor est. Quibus locis si Mewesium sequentes per *tertium* Blandinium intellegendum statueremus antiquissimum, quas ad ineptias futurum sit, ut perduceremur, aperte docent Cruquii verba, quae adnotavit ad c. IV, 1,20 (p. 214, b). Nam postquam in duobus codicibus antiquissimis Blandiniis legi dixit ‚citrea', tum in tertio exhiberi profitetur ‚Cyprea'. Itaque coacti essemus, ut id, quod in antiquissimis Blandiniis legatur (cf. § 7), codici antiquissimo abiudicaremus. Atque Mewesius saltem, quippe qui recte ‚citrea' codici V assignaverit, fieri hoc loco non posse nobis adversabitur, ut Cruquii verba male intellegantur, quare is hic per verbum *tertius* notare potuerit et alium codicem, qui non sit antiquissimus. Sed quoniam Mewesii sententiam secuti ut, quem Cruquius vocat *tertium* aut *quartum* modo esse antiquissimum, modo non statuamus cogimur, lectiones tam dubias prorsus missas faciamus.

§ 7.

Nonnunquam Cruquius solo compendio *cod. Bland.* promiscue utitur modo pro plurali (c. I, 4,1; 13,19; 25,5; 38,7; c. II, 9,7; 10,2; 14,27; III, 24,60; ep. I, 2,5; 31; 5,17; 10,13; 20,13; a. p. 54), modo pro singulari numero (c. III, 5,23; sat. II, 2,91; 7,97; ep. I, 16,3;), modo ita ut quis numerus sit, perspici nequeat (c. I, 3,36; 15,28; 28,30; 35,19; c. III, 4,31; 7,4; ep. I, 2,4). — Attamen his locis multo verisimilius est Cruquium illud compendium pro plurali quam pro singulari numero posuisse, quare has lectiones Blandinio vetustissimo tribuere nil dubito. Ac ne quattuor quidem illas scripturas, quas *codicem Blandinium* exhibere Cruquius testatur, codici V abiudicandas censeo, quia illis locis verba *cod. Bland.* tamquam *κατ᾽ ἐξοχήν* pro ‚Blandinio vetustissimo' posuisse videatur. Huc accedit, quod Cruquius ad. c. III, 5,23 in *cod. Bland.* ‚clusus' esse antiquo more adnotavit.

Praeterea iis locis, quibus *duo* (c. II, 13,8; IV, 1,20), vel *tres* (sat. II, 2,3) Blandinii appellantur *vetustissimi,* non dubito facere cum Hirschfeldero et Mewesio, qui Cruquium per ea verba etiam Blandinium codicem antiquissimum complecti voluisse persuasum habent. — Porro quascunque in *quodam* codice Blandinio aut in *duobus Blandiniis* Cruquius se legisse affirmat scripturas, non tribuendas esse codici V verbo notasse satis habeo. — Denique quas in omnibus *fere* codicibus fuisse lectiones Cruquius tradidit, etiam in Blandinio antiquissimo exstitisse valde est verisimile. Sed quoniam pro certo probari hoc nequit, posthac, cum omnes codicis V lectiones congeram, singulis hoc adnotabo.

§ 8.

Blandinius codex vetustissimus cum igne consumptus esset, priusquam Cruquius ad omnes Horatii libros edendos accederet (p. 308, a), quaeritur, num Cruquii fidei ac diligentiae adeo sit confidendum, ut ea omnia, quae ex illo codice protulerit, revera fuisse in eo persuasum habere possimus. Iam cum neminem e Cruquii aequalibus ac ne inimicos quidem integritati eius viri obtrectare ausos esse Mewesius recte exposuerit (Ueber

den Wert etc. p. 6—7), restat, ut ex eis ipsis, quae de codicibus suis tradidit, quantam fidem mereatur, videamus. Quae cum ita sint, duas res accurate esse discernendas rectissime animadvertit Mewesius (l. l. p. 6). Primum enim inquirendum est, utrum Cruquius, ut quam verissime, quod in codicibus erat, proferret, operam dederit, an saepius Blandinii antiquissimi auctoritate ostentata ipsius coniecturarum fidem augere studuerit. Deinde, num quae in codicibus suis esse arbitratus sit, revera in eis fuerint. Iam ut paucissimis summam quaestionis comprehendam, disserendum est separatim de Cruquii fide, separatim de diligentia. — Atque hanc quidem quaestionem, quippe quam, cum adhuc unus ex eis, quibus usus est Cruquius, codicibus integer exstet, prorsus ad finem perducere possimus, tractemus priorem. At vero ut eam accurate dissolvere queamus, antea pauca de ipsis Cruquii dicendi proprietatibus disseramus necesse est, quippe quas nisi recte perspexerimus, permultis locis quasnam vere Cruquius in codice V fuisse lectiones dixerit, discernere non possimus.

Nam cum Cruquius non id solum verbum, de quo agere sibi proposuit, sed plerumque compluria eorum, quae cum illo artius coniuncta sunt, vel totum versum afferre soleat, semper id tantum spectandum est, de quo ipso agatur, ne plura tribuantur codicibus, quam quae in eis exhibebantur. Quam ad rem illustrandam duo proferre mihi liceat exempla locupletissima. Nam ad sat. II, 2,64 Cruquius haec adnotavit: „*hac urget lupus, hac canis aiunt.* sic habent omnes scripti codices praeter Divae. et Mart., in quibus scribitur *hac canis angit*.... deinde Bland. codices habent *hac urguet lupus.*“ Tum ad sat. II, 3,108 adnotata leguntur haec: „*quid discrepat istis.* ab istis. omnes scripti codices habent *qui dis. istis.* duo cod. Bland. cum Mart. habent *iste.*“ — Quare inter verba ad c. IV, 6,28 (p. 229, a) in editionibus annorum 1565 et 1578 nihil interesse rectissime ostendit Zangemeisterus (l. l. p. 337), cuius iudicium sequi nihil dubito. Verum tamen assentiri non possum illi viro docto dicenti utrum ‚Agyieu' an ‚Agylleu' in codice V fuerit, effici non posse. Nam ex Cruquii verbis (ed. a. 1578): „olim cum viris doctissimis pro *Agylleus* scripsi *Agyieus* contra consensum om-

nium scriptorum codicum“ luce clarius efficitur in codice V fuisse ‚Agylleu’, id quod iam vidit Mewesius (l. l. p. 66, adn. 11). Huc accedit, quod Cruquius ‚Agylleu’ in lectionibus novis, quas vocat, recipiendum suasit. Similis est ratio horum locorum: sat. II, 5,87 (p. 480,a) et sat. I, 10,59 (p. 404,b), quorum priorem Zangemeisterus (l. l.) recte interpretatus est. — Deinde dicendum est de verbis, quae Cruquius adnotavit ad sat. II, 6, 44 (p. 488,a): *„Thraex est gall.* sic habent omnes, quos vidi, codices scripti.“ Quo in lemmate respiciendum esse solum verbum ‚est’ docent sequentia, ex quibus illa verba a Cruquio ideo proferri apparet, quia Canterus in codicibus se repperisse professus sit ‚an’. Ac paulo infra apud Cruquium scriptum legitur: „ceterum duo Bland. codices habent *Thraex est Gallina.*“ Sed in prima Satirarum editione a. 1573 scriptum est „ceterum Bland. codices habent etc.“, ita ut ‚duo’ sit omissum (cf. Schweikerti Cruquiana p. 14). Qua re permotus Mewesius etiam voces ‚Thraex’ et ‚Gallina’ in omnibus Blandiniis fuisse ideoque codici V tribuendas statuit. Sed in priore illa editione typothetae errorem statuendum puto, quia quomodo illud ‚duo’ in alteram editionem irrepserit, intellegi nequit. Hoc igitur solum scimus in codice V fuisse ‚e~i’, non ‚an’. — Porro ad sat. II, 8,53 (p. 506, b) Cruquius haec verba fecit: *„quam testa marina r. remittit* habent plura scripta .... ceterum lectorem monitum volui in omnibus scriptis poni *quod testa marina remittit.* praeterquam in vetustissimo Bland., ubi legitur *quo testa marina r.* et supra notatum *eo.*“ Qua in adnotatione secundo ac tertio loco verborum ‚quod’ et ‚quo’ tantum rationem esse habendam manifestum est, quia de verbo ‚remittit’ Cruquius iam antea disseruerat. Itaque cum non omnia Cruquii sed plura tantum manuscripta habuerint ‚remittit’, quid fuerit in codice V dignoscere non possumus. Quae cum ita sint, ex Cruquii lemmatibus semper id unum verbum codicibus erit tribuendum, de quo disertis verbis agitur. Paucissimis autem locis, ex quibus plures lectiones eruere liceat, posthac singulis hoc adnotabo. —

Atque etiam aliud est, quod huc pertineat. Cruquius enim rei orthographicae adeo fuit neglegens, ut nisi aperte de eiusmodi rebus disseruit, velut de voce ‚pinna’ (c. IV, 2,3),

‚fecula' (sat. II, 8,9), de scriptura ‚Quinctius' (ep. I, 16,1), aliis, codicis V orthographiam, quam appellamus, cognoscere non possimus. Itaque in illo codice utrum scriptum fuerit ad sat. I, 1,81 ‚afflixit' an ‚adflixit' obscurum est. Iam duo exempla, quibus quantopere Cruquius neglexerit res orthographicas illustretur, praebent eae, quas attulit lectiones ad ep. 5,21: ‚Iolchos', et ad sat. II, 7,17: ‚phymum'. Quas pravas scripturas ut in codice V fuisse concedamus, coacti non sumus, nam cum Cruquius ‚Jolchos' opponat scripturae ‚Colchos', ‚phymum' lectioni ‚pyrgum', prorsus nil exponit de orthographia. Ac ne puto quidem scripturam ‚phymum', quae nullo codice tradita est, fuisse in Blandinio. Verum quomodo factum sit, ut Cruquius illas voces tam prave scriberet, facillime est perspectu. Videtur enim lemmata sumpsisse e contextu antiquae editionis, qua in commentariis suis conscribendis uti solebat, cuiusque textum Horatianum vel non mutatum vel mediocriter correctum in sua editione exprimendum curabat. Itaque eis, quos memoravimus, locis in codice V fuisse ‚Iolcos' et ‚phimum', non ‚Colchos' nec ‚pyrgum' docemur, verum quomodo ipsa verba scripta fuerint, etsi summa cum fiducia contendi nequeat, tamen quin vera scriptura in eo fuerit, vix debeat quis dubitare [16]).

Denique momenti non levissimi alia res est et ipsa ad orthographicas rationes spectans. Merito enim Muetzellius (l. l. p. 860) admodum dubium esse animadvertit, num revera Cruquius in antiquis codicibus tot accusativos in ‚eis' invenerit, quot protulit. Nec tamen haec res talis est, quae in Cruquii fidem conferat suspicionem. Nam cum quotiescunque e codice Divaei tales formas insolentiores protulit, in ipso codice accusativos fuisse in ‚es' Matthias (l. l.) demonstraverit, etiam in Blandiniis manuscriptis hos verborum exitus exstitisse haud temere concludas. Itaque Cruquius studio quodam atque amore orationis obsoletae captus inusitatis illis formis usus videtur esse. Quae cum ita sint, quibus locis in codice V fuerint accusativi in ‚is', quibus in ‚es', iam discernere non possumus, id quod eo magis est dolendum, quod fieri potuit, ut Cruquius interdum

16) Similiter se habet lectio ‚Gygas' (c. II, 17,14): cf. quae infra ad hunc locum adnotabimus.

putaret in codice suo esse accusativum pluralis, ubi revera exstabat genetivus singularis. Attamen duobus locis veram codicis V scripturam expediri posse arbitror. Alter enim est c. I, 6,7, alter c. I, 8,15. Nam ad priorem locum a Cruquio (p. 21,a) adnotata leguntur haec: *„nec cursus*. id est, Odysseam periphrasticos, in quibus dupliceis Ulyssis cursus describit, id est, errores varios, perque maria spatiosa latos. quod eo dico, quod Homerus a Troia capta in reditu difficileis Ulyssis labores decantavit, non etiam in aditu Troiam versus, ut exponit Commentator et alii nimirum *dupliceis*, id est aditum ad Troiam reditumque in patriam. verum cum viri quidam docti de aditu hoc dici non posse adverterent, legunt *duplicis*, id est, versuti et callidi, pro Epithetis Homericis Ulyssi datis. Quam quidem sententiam etsi non improbem, tamen consensum omnium quos vidi, scriptorum codicum in *τῷ dupliceis* nolui vili facere." Hoc igitur in versu codicem V exhibuisse plane ‚duplices' [17]), non ‚duplicis' manifestum est. Deinde ad c. I, 8,15 interpretandum Cruquius haec verba fecit (p. 27, b): *„virilis cultus*. erat enim amictu puellari ad Lycomedem deductus, ut supra notatum est. cod. Bland. antiquiss. habet expresse supra notatum *virileis* esse accusativi casus." Itaque quin in codice V fuerit ‚virilis' dubitari non potest, quia si habuisset ‚viriles' illa adnotatiuncula prorsus non opus fuisset. —

Quoniam igitur, quales sint Cruquii dicendi proprietates, habemus, iam eo, unde defleximus, revertamur.

Divaei (= Carrionis) enim codicis a Cruquio inspecti, qui adhuc asservatur in Academia Lugdunensi Batavorum, novas collationes diligentissimas publici iuris fecerunt Matthias (l. l. p. 55—74) eodemque fere tempore Haeussnerus [18]), quorum uterque permultos locos congessit, ex quibus Cruquium summa cum neglegentia de eis, quae in codice Divaei leguntur, disseruisse appareat. Quare videamus, num revera illi loci eiusmodi sint, propter quos Cruquio summa sit tribuenda neglegentia. Ac primum quidem Cruquius, ut supra exposuimus, id solum

17) Itaque Hirschfelderus erravit, cum in codice V semper accusativos in ‚is' fuisse affirmaret (l. l. p. 14). —

18) cf. Philol. Rundschau, 1883, p. 233—243.

ex lemmatum verbis in codicibus fuisse vult intellectum, de quo diserte agit, unde efficitur eum neglegentem non fuisse his locis a Matthia vel ab Haeussnero allatis: c. I, 3,36 ‚perrupit' opponitur lectioni ‚perrupitque'. [Div: ‚prerupit']. — c. I, 7,7. ‚decerptam fronti' opp. ‚decerptae frondi'. [Div: ‚deceptam']. — c. I, 7,14. ‚pomeria' opp. ‚pomaria'. [Div: ‚pomoeria']. — c. I, 15,24. ‚Teucer te Sthenelus' opp. ‚Teucer et Sthenelus'. [Div: ‚Stelenus']. — c. II, 11,17: ‚Euius' opp. Euhius'. [Div: ‚Euchius']. — c. II, 17,14: ‚Gygas' opp. ‚Gyas' [Div: ‚gigas']. cf. quae infra ad hanc lectionem adnotavimus. — c. II, 19,23: ‚Rhecum' opp. ‚Rhetum' [Div: ‚Rhoetum']. — c. III, 6,9: ‚Monaesis' opp. ‚Monaesus'. [Div: ‚monesis']. — c. III, 16,26: ‚impiger' opp. ‚non piger' (quod legitur in textu Cruquiano). [Div: ‚inpiger']. — c. III, 25,12: ‚ac' opp. ‚ut' (quod in textu et lemmate legitur.) [Div: ‚at']. Cruquius igitur nil dicit, nisi in nullo codice fuisse ‚ut'. — c. s. 49—51: ‚quaeque vos bobus .... impetret' opp. ‚quique vos bobus .... imperet'. [Div: ‚bubus']. Cruquius igitur nil dicere volebat de orthographia. — sat. I, 2,81: ‚hoc Caerinthe' opp. ‚o Caerinthe' [Div: ‚o cirinthe']. — sat. I, 3,63: ‚simplicior quis et est' opp. ‚simplicior quis at est' [Div: ‚simplicior si quis est']. Hoc enim loco Cruquius codicum suorum lectionem opponit scripturae Lambini ‚qui (II, p. 35) secundum plerosque veteres codices edendum se curasse dicit ‚at'. Itaque Cruquius ‚etsi Divai codex habuerit neque ‚et' neque ‚at' ‚tamen quodammodo dicere potuit omnes codices exhibere ‚et' ‚cum in nullo invenerit ‚at'. — sat. I, 3,65: ‚impellat' opp. ‚appellat' (de quo disserit Lambinus). [Div: ‚inpellat']. — sat. I, 9,38: Cruquius habet in textu ‚si me amas, inquit'. Tum in adnotationibus profert Divaei codicis lectionem ‚si tu me inquit amas'. Divaei autem codex revera praebet ‚si me tu inquid amas'. Cruquius igitur hoc tantum monere volebat codicem Divaei exhibere vocem ‚tu', quae alias non exstaret, et ordinem verborum ‚amas inquit' in eo esse inversum. Sed nihil eius intererat ut falsam scripturam ‚inquid' et positionem verbi ‚tu' commemoraret. — sat. I, 10,21: ‚quine putetis' [Div: ‚quine putatis']. Cruquius verba facit tantum de suffixo ‚ne'. — sat. II, 2,79: ‚affligit' opp. ‚adfigit' [Div: ‚affigit']. — sat. II, 3,163: ‚tenten-

tur' opp. ‚tentantur' [Div: ‚temptantur']. Hic Cruquius modos tantum respicit. — sat. II, 5,87: Cruquius profert lectionem ‚scilicet elabi sic posset', Divaei autem codex habet ‚scilicet elabi si posset'. Verum Cruquius monere volebat in Divaei codice non esse illud ‚ut', quod legeretur in V. — sat. II, 5,90: Cruquius cum alios tum Divaei codices exhibere dicit ‚offendet garrulus ultra'. Divaei autem codex habet ‚offendåt'. Sed de hac re non disserit Cruquius, verum lectioni ‚ultro', quam scribit Lambinus, opponere videtur ‚ultra' in suis codicibus repertam. — ep. I, 5,26: ‚Brutum' opp. ‚Brutam' [Div: ‚butram']. — ep. I, 8,14: ‚utque' opp. ‚atque', quam lectionem commemorat Lambinus [Div: ‚utique']. — ep. II, 1,114: ‚abrotonum' opp. ‚abrotanum' ‚[Div: ‚habrotonum']. — Denique ad c. II, 1,1; ep. 5,37; sat. I, 3,128; sat. II, 7,58 Cruquius neglegens non fuit, cum scholia non ad verbum describeret, sed id tantum egit, ut scholii sententiam redderet, ut hunc ipsum etiam in Commentatore, qui dicitur, scholia saepissime suo abitrio immutasse Matthias demonstravit. — Quibus rebus expositis si semper id solum respiciatur, quod ipsum Cruquius tractat, vere codicis V lectiones expediri posse efficitur. —

Deinde nonnulli sunt loci, quibus cum valde oblitteratus esset codex, quid ab initio scriptum fuisset, Cruquius non recte exquisivit, vel potius exquirere non potuit. Neque enim plus diligentiae a Cruquio exigi debet, quam pro aetatis suae scientia praestare poterat. Praeterea semper fere, ubi litura fuerit, ipse indicat, quo fit, ut cautius de eiusmodi locis iudicare possimus. Sunt autem hi: sat. I, 2,45; sat. II, 2,99; sat. II, 3,208; sat. II, 3,287[19]); sat. II, 3,300[20]); sat. II, 7,64. Hic, quem modo attuli, locus praebet exemplum illustrissimum, quam iniuste quidam de Cruquii diligentia iudicaverint. Nam cum

---

19) Cruquius legit ‚Meneci', Divaei codex exhibet in litura ‚meneitii' vel ‚meneicii'. Sed cum antea Cruquius nomen ‚Meneni' protulerit, tuo iure concludas eum hoc loco id tantum monitum voluisse in Divaei codice illud nomen non scriptum esse per litteram ‚n' sed per litteram ‚c'. —

20) Hic Cruquius confundit fortasse codicis Silvii lectionem cum Divaei, id quod iam Matthiae probabile videbatur. —

Cruquius operam dederit, ut sub verbis valde oblitteratis sanam sententiam subiceret atque scholiastae adnotationem ita restituerit: ,non peccat superne, id est non resupinat adulterum', Haeussnerus legit: ,et non resupine vel principialiter vel alte', Matthias: ,non insuper id est incipit ea re'. Itaque cum vel nostrae aetatis viri docti in eo, quid in lituris fuerit, eruendo adeo dissentiant, etiam Cruquio errorem condonandum puto. Praeterea ad eundem locum monuit Haeussnerus in textu non fuisse ,non peccat', quod legeret Cruquius, sed ,peccatve'. Verum ne dixit quidem hoc Cruquius, sed verba ,non peccat' pertinent ad ipsum scholion. — Deinde ad c. I, 2,46 iniuste Haeussnerus vituperat Cruquium, quod de litura dicat, ubi nulla fuerit. Sed cum Matthias in nonnullas litteras verbi ,Quirini' nigrius atramentum inductum esse viderit, hic error levissimus Cruquio est concedendum. — Tum ad sat. II, 7,71 Cruquius non pro certo affirmat se legisse in Divaei codice ,priva', sed cautius ,videor legisse' ait. — Denique Matthias ad ep. I, 9,2 vituperare videtur Cruquii incuriam, qui ,quamquam defecerit in hac epistula codex Divaei, tamen scripturam ,et prece cogit' in omnibus libris esse professus sit. At si unus deerat, non video, cur non eos, qui supererant, notare potuerit per vocem ,omnes'. — Itaque ne iis quidem, quos attulimus locis Cruquio neglegentia est tribuenda, quod lectiones vel scholia valde obscurata non recte semper legerit. —

Porro iam supra Cruquium non neglegentia sed studio quodam captus plerumque accusativos in ,eis' commemorasse vidimus, etsi scriptum sit in codice ,es'. Atque ex Divaei libro eiusmodi loci sunt hi: c. I, 2,31; 6,7; 15,20; 25,5; II, 10,12; ep. 6,3; sat. I, 10,41; sat. II, 3,212; 6,54; a. p. 193. —

Deinde saepius ex Cruquii adnotationibus Divaei codicem ab eo non esse inspectum colligendum est: c. III, 4,10; 23,19; sat. I, 4,120; sat. II, 2,58; ep. I, 10,18; 18,19[21]). Quos locos Matthias cum enumerarit atque litteris pinguioribus imprimendos

21) Nil demonstrant ceteri loci a Matthia prolati, quibus cum lectiones gravissima Blandiniorum auctoritate commendare satis duxerit, eum Divaei codicem non adhibuisse minime efficitur: c. II, 10,2; III, 12,15; ep. 11,11; 13,18; 15,23; ep. I, 6,34. —

curaverit, maxime idoneos putasse videtur, quibus Cruquii neglegentia fiat manifesta. Atque nos quidem merito postulamus, ut viri docti alicuius scriptoris libros edituri praestantiorum, quos contulerunt, codicum lectiones omnes diligentissime adnotent. Verum ante haec tria saecula viri docti longe alia ratione utebantur. Cruquius enim, si aliquam lectionem meliorum codicum auctoritate stabilitam videbat, eosdem inspexisse satis habebat neque etiam manuscripta peiora putabat adeunda. Quo factum videtur, ut Cruquius nonnunquam de omnibus codicibus narret, tametsi non omnes adhibuit, quia cum primum optimos contulisset nec differentiam invenisset ad peiores inspiciendos deficiebat patientia atque industria (c. I, 17,9; III, 25,6; sat. I, 1,19; 39; 91; 2, 14; 3,96; sat. II, 3,96; 194; 260; ep. I, 2,23; 18,56; 111; a. p. 49; 249; 393). — Quamquam igitur Cruquium his locis nimis se gessisse neglegenter concedo, tamen etsi non semper, ubi omnium codicum affert scripturam, omnes contulerit, inter eos, quos inspexit, semper fuisse Blandinium antiquissimum nemo infitiabitur, qui quanti aestimaverit Cruquius hunc librum, secum consideraverit.

Jam cum adhuc ex Cruquii adnotationibus licet parum accuratis codicis V scripturas expediri posse viderimus, tamen duabus in rebus utrum erraverit necne non semper dici potest, ut fieri possit, ut inter eas, quas congesturi sumus lectiones, sint nonnullae, quae codici V recte tribui non possunt. Primum enim non semper accurate diiudicavit, quid priori, quid alteri manu deberetur (c. I, 7,15; sat. I, 1,38; 6,117; sat. II, 4,79; 7,34; ep. II, 1,172), tum scripturae compendia aut interpunctionis signa nonnunquam prave intellexit (c. I, 12,3; III, 7,4; sat. I, 6,86; sat. II, 1,85; 4,48). — Denique ter e codice Divaei aperte scripturam profert, quae in eo non exstabat: sat. I, 10,59 ‚qui' pro ‚quid'; sat. II, 5,38 ‚si' pro ‚sis'; ep. I, 17,21 ‚pascis' pro ‚poscis'. Verum talia etiam nunc viris doctis nonnunquam accidunt.

Quibus rebus expositis ne temere codicis V lectiones eruendas suscipere videar, primum, licet nonnunquam Cruquius non recte legerit vel protulerit Blandinii scripturas, *eas non tam multas esse affirmo, ut de codicis natura dispu-*

tare iam nequeamus; deinde a Cruquio codicem V multo diligentius et accuratius quam Divaei, quem habebat pro deterioris notae libro, collatum esse valde est verisimile. —

Quoniam igitur de diligentia Cruquii diximus, transeamus ad fidem. Qua de re cum iam Mewesius (l. l. 8–13) copiose atque recte disseruerit, pauca habeo, quae adiciam. Ac ne ipse quidem dubito, quin Blandinius codex vere habuerit lectiones ‚Dellium' (c. II, 3), ‚Rhoetum' (c. II, 19,23), ‚purpureis' (c. IV, 1,10), minimeque nego Cruquio lectiones ‚Gellium', ‚Rhoecum', ‚porphyreis' tam vehementer placuisse, ut paulatim quasi ipse sibi persuaderet ibi rasuras vel lituras exstitisse, ubi nullas viderat. Verum qui quam caute atque dubitanter Cruquius ipse de illis locis dixerit, considerat, illum virum nunquam consulto id egisse intelleget, ut alios homines plane falleret. Quocirca Cruquium adeo non mendacem fuisse persuasum habeo, ut ubicunque simplicissimis verbis profert ex codicibus suis lectiones, summam ei fidem tribuam. Itaque ne Cruquii simplicitate atque credulitate et ipsi in errores incidamus, postea in iudicanda codicis V natura paucos illos locos neglegamus. — Sed restant duae lectiones, quae Kellero maxime idoneae videntur, quibus Cruquii fides atque veritas infirmetur. Primum enim ad c. III, 8,5 apud Cruquium haec adnotata leguntur: „*sermonis* in Bland. codicibus per I maiusculum scriptum est, quod fere vel *eis* vel *es* notat". Sed quid haec adnotatio miri habeat non intellego. Quivis enim vir doctus non ignorat usque ad saec. XI. in codicibus haud raro l longam reperiri, ut ‚in' scriptum sit = ‚ln'[22]. Itaque hanc litteram invenit Cruquius, cumque genetivum hoc loco non quadrare recte perspiceret, formam ‚sermonis' putabat esse accusativum in ‚is'. Nec Batavi verba ‚quod fere vel *eis* vel *es* notat' ita sunt interpretanda, ut in codicibus Blandiniis semper accusativos in ‚is' vel ‚es' per l longum scriptos fuisse colligatur, sed hoc modo: ‚und das wird wohl *eis* = *es* heissen sollen', i. e. ‚und das wird

22) cf. Wattenbach, Anleitung zur lateinischen Palaeographie, p. 8.

wohl der accusativus pluralis sein'. Codex igitur habebat ut alii plerique ‚sermonis'. — Alter locus est ep. I, 12,24: ‚in antiquiss. cod. Bland. syncopatum legitur *d'est* cum apostropho supra d litteram'. Sane verisimile non est in codice V ab initio scriptum fuisse apostrophum, verum ne ulla quidem re prohibemur, quin hoc signum a posteriore quodam prave appositum esse statuamus[23]). Saltem hoc pro certo e Cruquii adnotatiuncula colligendum est in codice V non fuisse falsam scripturam ‚deest', sed veram ‚dest'.

Itaque demonstrasse mihi videor nihil esse, cur Cruquii diligentiae ac veritati fidem non adiungamus. —

§ 9.

Restat, ut de perpaucis locis, qui interpretationis indigeant, verba faciam.

Quamquam enim Cruquius in codicibus quid priori aut alteri manu deberetur, et quid primum scriptum esset aut in rasura fuisset, non semper recte discrevit, tamen ubicunque de verbis vel litteris *expunctis* disseruit veram codicis scripturam cognoscere possumus. Nam ad sat. I, 6,126 (p. 382,a) haec adnotavit: „codex Bland. antiquissimus habet *fugio campum lusumque trigonem*". sed supposita sunt puncta vulgataque lectio est adnotata. E quibus codicem V a stulto correctore, cuius pervenerat in manus, secundum alium librum ita emendatum vel potius depravatum esse apparet, ut, quod ille falsum putabat, subscriptis punctulis significaret alteramque lectionem supra notaret. Quare ab initio in codice exstabat scriptura ‚fugio campum lusumque trigonem'. Praeterea huc pertinent hi loci: c. I, 35,20: ‚liquidum' expuncto q, et sat. I, 3,83: ‚quanto hoc furiosius' voce ‚hoc' expuncta, ubi hucusque immerito a plerisque viris doctis codici tributae sunt lectiones ‚lividum' et ‚quanto furiosius'[24]).

Deinde tres lectiones, quas Mewesius tribuit Blandinio, huic

---

23) Idem censet Mewesius, l. l. p. 18.

24) Mecum facit Dillenburgerus in diar. gymn. Berol. a. 1881, p. 324. —

codici esse abiudicandas censeo. Ac primum quidem Cruquius ad sat. II, 3,1 haec adnotavit: „*si raro scribis ut t.* haec lectio est trium codicum Blandiniorum cum Martinio, quam non temere putavi vulgandam. nam praeter codicum Bland. venerandam antiquitatem etc." Quibus ex verbis Mewesius scripturam ‚si' in codice V fuisse colligere videtur. Non recte, ut puto. Nam qui quanto studio haec scriptura a Cruquio commendetur legerit, facere non poterit, quin miretur, cur Cruquius non ipsius codicis antiquissimi auctoritatem interposuerit. Itaque hoc loco „venerandam codicum Blandiniorum auctoritatem" laudans id maxime agit, ut sententiam suam reddat probabiliorem. — Porro ad eiusdem satirae v. 300 Mewesius codici V adscripsit lectionem ‚si' spectans ad Cruquii verba adnotata ad versum primum (p. 439, a): „vulgo legitur *Stoice post damnum sic vendas o. p.*, ubi scripti codices habent *Stoice post damnum si vendas omnia pl.*" Verum ad ipsum v. 300 leguntur haec (p. 456, a): „*si vendas omnia pluris.* hanc lectionem inveni in duobus codic. Mart. et Div. Silvius etiam habet *si* sed cum *c* littera suprascripta." Itaque cum priore loco per verba „scripti codices" non omnes Cruquii libri sint intellegenda, quid in V fuerit, nescimus. — Denique ad c. II, 6,5 scriptum legitur: „*Tibur Arg.* aliter *Argivo* in codic. Bland. vetustissimo". Itaque ‚Argivo' non est vera codicis scriptura sed varia lectio suprascripta, quae prave a Mewesio ipsi codici tribuitur. —

§ 10.

Quoniam igitur qua via ac ratione Blandinii codicis antiquissimi lectiones ex Cruquii adnotationibus eruendae sint exposuimus, iam eas ipsas in unum congeramus, atque, ut uno quasi conspectu quot veras exhibeat, quot falsas videamus, lectiones certe genuinas circulo (°), haud dubie falsas asterisco (⁺) notabimus.

Carminum libri.

I.

1,7. ‚°mobilium' — 13. ‚dimoveas' — 33. ‚°Polyhymnia' — 2,31. ‚°candentes' (vel ‚—is') — 3,19. ‚turbidum' [I, II] 36.

,°perrupit' — 37. ,°ardui est' — 4,1. ,ad L. Sextium'. *ex Blandinio codice antiquissimo non sine magna molestia restitui hanc oden divisis suis modis et numeris a nemine adhuc observatis nec cognitis, quod sciam. quae hunc in modum distingui et legi debet, διαρτήτως: Solvitur acris hiems grata vice | Veris et Favoni: | Trahuntque siccas machinae carinas.* | — 5,14. ,°uvida' — 6,7. ,+duplices' — 16. ,°Tydiden'[25]) — 7,7. ,°decerptam fronti' — 11. ,°percussit' — 13. ,°Tiburni'[26]) — 15. ,°deterget' — 8,15. ,°virilis' — 9,14. ,°fors' — 11,1. *,quaesieris scire'; coniunctim legenda sunt* — 3. *,ut melius quicquid erit pati', iudicavi pertinere ad verbum sapias, ita ut intermedia circumscribantur parenthesi, quae sic scriptum inveni in Blandinio codice vetustissimo.* — 5. ,+qui' — 12,2. ,sumes' [III] — 3. ,recinet' *sed nescio quis pro e secunda vocali maculata conatus est formare i tertiam vocalem, sed non ita dextre, ut deprendi nequeat* — 13. *,quid prius?' omnes cod. scripti hic interrogationis notam habent.* — ,°parentis' [I, II] — 31. ,+quia' — 55. ,°orae' — 13,6. ,manent' — 19. ,°divolsus' — 15,2. ,Helenam' — 20. ,°crines' [I, II] — 28. ,°Tydides' — 17,8. ,°colubras' — 18,2. ,+,Catilli' — 5. ,°crepat' [I, II] — 15. ,°et tollens' [I, II] — 21,5. ,comam' [I, II] — 22,2. ,°Mauris' — 11. ,°expeditis' — 14. ,°Daunias' — 23,1. ,inuleo' — 5. ,nam seu mobilibus veris inhorruit adventus foliis' — 24,2. ,°lugubris' — 9. ,°bonis' — 13. ,°quid si' — 15. ,°num vanae' — 25,2. ,°iactibus' — 5. ,°facilis' [I, II] — 27,19. ,°laborabas' — 24. ,°Chimaera' — 28,18. ,°avidum' — 19. ,°densentur' — 30. *,negligis . . . committere?' interrogative* — 31. ,°fors et'. *alii coniunctim alii divisim.* — 29,16. ,°tendis' — 31,18. ,ac'. *sic legendum est, ut habent scripti cod. non ,at' ut habent vulgati . . . . quidam scripti habent* ,atque'. — 33,11. ,°aenea'. *sic habent omnes scripti lib. alii aë divisis, alii ae in diphthongum contractis.* — 35,17. ,serva' [I, II] 19. ,°aena' — 20. ,°liquidum' *Bland. cod. anti-*

---

25) cf. Mewes. l. l. p. 61, cui assentior. —

26) ,Tiburni' legitur in Cruquii editt. a. 1597 et 1611. ed. a. 1578 habet ,Tiburtini', quod in Corrigendis emendatum est. —

quiss. habet expuncto q ,lividum' — 38. ,⁺heu'[27]) 36. ,°manum' — 36,8. ,⁺pueritiae' — 10. ,°cressa nota' — 38,1. ,°odi'. *in antiquiss. cod. Bland. hic supra notatum est sperne* — 7. ,°arta'. *sic habent cod. Bland.* ,arta'. *sine c ubique.* —

II.

1,28. ,⁺retulit' *per unicum t.* — 38. ,°Ceae' — 2,17. ,°Phrahaten' — 18. ,plebis' [I] — 3,1. *in antiquissimo codice Bland. ex apicibus lituris et alterius Bland. collatione, in quo scriptum repperi ad Bellium, facile deprendi in locum litterae G irrepsisse litteram D propter affinitatem, ita ut pro voce Gellius hactenus legatur Dellius* — 9. ,°quo' — 11. ,quid? obliquo la'. *sic legitur in duobus Blandin. in antiquiss. non sine turpi litura. in altero expresse cum suppositis punctulis sine litura* — 4,18. ,°dilectam' [II, III] — 19. ,°aversam' — 8,1. ,ad Juliam Barinen' — 9,7. ,querqueta' — 9. ,urgues' — 10,2. ,urguendo' — 12. ,°fulgura' — 11,17. ,⁺Euius'. *in cod. Bland. vetust. sed a sciolo supra posita nota aspirationis* — 12,2. ,°durum' — 12. ,°minacium' — 13. ,⁺Lycymniae' — 25. ,°flagrantia' — 13,8. ,°Colcha' [I, II] — 13. ,°quid' — 14. ,Bosphorum'. *sic habent omnia scripta alia per ph, alia per f litteram* — 38. ,laborum' — 14,27. ,tinguet' [I, III] — ,superbo' — 15,1. *hanc oden a superiori indivisam legi in codicibus Blandiniis* — 17,14. ,gigas'[28]) — 19,23. ,Rhecum' (ed. a. 1597 et 1611 habent ,Rhoecum'). *sic habet cod. Bland. antiquiss. non sine turpi litura* — 20,11. ,°superne'. —

III.

1,19. ,°elaborabunt' — 2,1. ,°amice' — 5. ,°sub divo' — 24. ,pinna' — 3,1. *in antiquiss. cod. Bland. haec ode nec in-*

---

27) ed. a. 1578 habet ,hey', sed in Corrigendis Cruquius legendum monuit ,heu'. —

28) Cruquii lemma et ipsa adnotatio praebent formam ,Gygas', qui est merus lapsus ortus fortasse e scriptura ,Gyas' vel receptus ex antiqua editione. In textu Cruquius recte habet ,gigas', atque id ipsum exhibet Gothanus codex nostro simillimus. Etiam ad c. III, 4,69 Cruquius accurate protulit ,gigas'. —

scriptione nec litteris maiusculis a praecedente separata est — 6. ,°magna manus Jovis' — 10. ,°enisus' [I, II] — 53. ,°mundo' — 66. ,°auctore' — 69. ,°non hoc iocosae conveniet' — 4,15. ,°Bantinos' — 31. ,°urentes' (vel ,— is') [I, II] — 69. ,gigas' — 5,10. ,°anciliorum et' [III] — 21. ,+direpta' — 23. ,+clusas' — 27. ,+dampnum', *ubique* — 6,9. ,Monaesis' — 7,4. ,fidei' — 8,5. ,+sermonis'. *in Bland. codicibus per I maiusculum scriptum est, quod fere vel eis vel es notat* — 10. ,°dimovebit' — 27. ,°cape' [I, II] — 9,5. ,°alia' [I, II] — 10,8. ,°puro numine' — 11,21. ,°Tityosque voltu' [III] — 30. *,nam quid potuere maius impiae?' sic habent codices Bland. ut interrogationis nota subsequatur τὸ impiae* — 52. ,°scalpe' — 12,1. *qui (Acro) .... voluerit hoc carmen esse monocolon, at aliud longe nobis ob oculos ponunt tres scripti codices Bland. antiquiss. Maldeg. et Mart. sed hic nostra ope non nihil adiuvi in pedibus ordinandis.* — 7. *in huius odes versuum dispositione legitima omnes nostri cod. scripti sine ulla macula aut litura consentiunt* — 15. ,°arto' [III] — 13,1. ,°Bandusiae' — 14,11. ,ominatis' [I] — 22. ,°murreum'[29]) — 15,2. ,°fige' [II, III] — 16,13. ,°exitio' — 26. ,°impiger' — 19,24. ,+habili' — 20,3. ,°post paulo' [I, II] — 23,2. ,°Phidyle' — 7. ,°robiginem' — 24,4. ,publicum' [I]. *sic habet cod. Bland. vetustissimus cum hac adnotatione, id est: late patens* — 49. ,°summi materiem' — 60. ,hospites' [I, II] — 25,2. ,°aut' — 6. ,°consilio' [I, II] — 27,7. ,cui'. *cum litura et supra notatum alias ,quid'* — 15. ,vetet' — 22. ,°orientis Austri' — 48. ,°monstri' [II, III]. *cum adnotatione alias ,tauri'* — 57. ,+Europae' — 28,7. ,°deripere' — 29,17. ,°Andromedae' — 35. ,°delabentis' — 30,12. ,°regnavit'. —

IV.

1,10. *purpureis ales. omnibus antiquis codicibus manuscriptis in hoc consentientibus. reversus ad Bland. codices, quod antea non observaveram, vidi in τὸ purpur. apertas maculas*

---

29) ,mureum' per unum r scriptum typothetae error est. Cruquius opponit hoc verbum scripturae ,myrrheum', quae legitur in textu. —

τοῦ ,porphyr.' — 11. ,°commissabere' [I] — 20. ,°citrea' [II] — 22. ,lyraque et Berecyntia' (ed. a. 1565: ,Bercynthia') — 2,3. ,pinnis'. *ubique pro ,pennis'* — 6. ,cum super notas saliere ripas' [III] — 23. ,°educit' [II, III]. *in uno codice antiquissimo* — 36. ,°Sygambros' — 49. ,teque dum procedis' — 3,14. ,°suboles' — 4,73. ,perficiunt' — 76. ,⁺peracuta'. *unica dictione composita* — 5,12. ,°distinet' — 14. ,°dimovet' — 34. ,°defuso' [I, III] — 6,21. ,flexus' — 28. ,⁺laetus' — ,Agylleu' — 7,15. ,pater' [III] — 17. ,vitae' [III] — 8,1. ,°commodus' [I, II] — 8. ,°sollers' — 9. ,nec tibi talium'. *codex antiq.* (ed. a. 1565: *antiquiss.*) — 12. ,muneri'. — 9,52. ,°timidus perire' [I, III] — 12,23. ,tinguere' — 13,14 ,°cari' [I, III] — 14,10. ,°Genaunos' *sine ulla litura aut macula* — 11. ,°Breunosque' — 26. ,°praefluit' — 28. ,minitatur' [II, III] — 15,1. *haec ode invenitur in codic. manuscrip. adhaerere praecedenti indivisa* — 15,10. ,°evaganti' [I, II].

Epodorum liber.

In inscriptionibus iambi non odae sed epodi nominantur, ut ad Pettium (huc accedit ex ed. a. 1567 praef: *sic habent quattuor codices Bland. et Busl. non Pectium, ut passim legitur) Epodos elegiambica seu Elegoiambica — Ad Canidiam libidinosam Epodos heroica — Ad amicos Comicos Epodos Iambelega — Ad Inachiam meretricem Senarius Epicus Quadratus Dactylicus Epodicus* (in editione antiquissima: *De Inachia, quam diligebat, Epodos Elegiambica sive Elegoiambica) — Ad Neaeram Senarius Epicus Iambicus binarius Epodicus.* — Huc accedit ex editione a. 1567: *In Gratidiam, mulierem foedam ac libidinosam, Epodos Heroica. Sunt etiam aliquot carmina, quae nec odae nec epodi inscribuntur.* —

1,28. ,°pascuis' [I, III] — 2,5. ,°neque'. *hic codices habent bis neque* — 18. ,°agris' [II, III] — 20. ,⁺purpura' — 25. ,rivis' [III] — 69. ,°redegit' — 3,3. ,°edit' — 21. ,°savio' 5,1. ,°quicquid' — ,°regit' [I, II] — 3. ,°et' [I, III] — 21. ,°Iolcos' [I, II] — 37. ,exsecta' — 46. ,°deripit' — 55. ,°formidolosis'[30]) —

30) ,formidolosae', quod omnes editiones Cruquianae praebent, typothetae errorem esse iam Bentleius perspexit. —

58. ,°Suburanae' [I, II] — 60. ,°laborarint' [I, III] — 63. ,°superbam' — 100. ,°Esquilinae' — 6,3. ,+verte' [III] — 14. ,°Bupalo' — 10,19. ,+sinu notus' — 11,1. ,°Petti' — 11. ,°contraue lucrum' — 12,3. ,°nec' — ,°firmo iuveni' [31]) — 13,2. *hic versus in omnibus libris scriptis συναρτητῶς legitur* — 18. ,°deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis'. *sine ulla copula* — 15,17. ,°et tu' — 16,14. ,+videri' [I, III] — 21. ,°ferent' — 32. ,°miluo'. *per diaeresin* — 33. ,ravos' [II] — 51. ,+ovili' [III] — 17,1. *hoc carmen neque Epodon inscriptum in his cod. Bland. invenio, nec oden, sicuti nec praecedens* — 11. ,°unxere' [I, III] — 33. ,virens' — 50. ,°Pactumeius' — 65. ,°infidi' — 67. ;°aliti' [I, II]. —

Carmen saeculare.

5. ,+quod' [I, II] — 21. ,°certus undenos' — 27. ,°servet' — 49. ,°quaeque' — 51. ,°impetret' — 65. ,aras' [I] — 68. ,°prorogat' [II] — 71. ,°curat' — 72. ,°applicat'. —

Satirarum libri.

I.

1. *Antiquissimus ex bibliotheca Blandinia ..... habet: Q. H. F. carmen saeculare explicit: incipit Eclogarum liber primus maiusculis quibusdam (ita tamen, ut aliquo modo legi possent) characteribus erasis atque in earum locis depictis aliis, qui lectori τὸ Sermonum exhibent ..... singula notata sunt hoc titulo Ecloga* 1. 2. 3. *etc. liber de arte poetica in codicibus Blandiniis duobus, Tonsano et Divaei ante libros Eclogarum, in aliis duobus Blandiniis et Buslidiano ante libros ἐπωδῶν* [32]). —

2. ,°fors' — 8. ,°cita mors' — 19. ,°nolint' — 33. ,°parvola' — 38. ,sapiens' [III] — 39. ,°demoveat' [I, II] — 45. ,°mi-

---

31) E Cruquii verbis „nec fimo iuveni neque naris obesae. in hac lectione non dissentiunt versus scripti etc." duas lectiones eruere licet, nam si V verba ,firmo iuveni' inverso ordine, sicut alii nonnulli, habuisset, hoc certe commemorasset. —

32) His duobus Blandiniis secundo loco commemoratis codicem V esse adnumerandum demonstravit Muetzellius (l. l. p. 868). —

lia' — 64. ,+quatinus' — 81. ,afflixit' — 91. ,°in campo' [I, II] — 94. ,°ne facias'[33]) — 101. ,Naevius' — 108. ,qui nemo ut avarus' — 109. ,+at' (deest in ed. a. 1573) — 118. ,°vita cedat' [I, II] — 2,12. ,+Futidius' — 14. ,°exsecat' — 18. ,°in se' — 51. ,°munifico' [I, II] — 63. ,°peccesve' — 86. ,°opertos' — 90. ,°Lyncei' — 93. ,°depugis'. *sic habent omnes Bland. codices, in quibus y fere per u scribitur* — 97. ,°tum' [I, II] — ,°officient' [I, II][34]) — 101. *scripti, quos legi, codices omnes habent interpunctionem post verbum ,obstat'* — 106. ,°sectetur' — 107. ,°cantat' — 109. ,°hiscine' — 110. ,tolli' — 111. ,°statuat' — 3,7. ,Bacche' — 20. ,°et fortasse' — 29. *iracundior est paulo? haec interpunctio est in omnibus manuscriptis* — 57. ,ille' — 58. ,°pingui' — 60. ,versemur'. *Blandin. codex antiq.* (ed. a. 1573: *antiquissimus*) — 63. ,°simplicior quis et est' — 65. ,°impellat' — 81. ,°ligurrierit' — 83. ,°quanto hoc furios.' *codex Blandin. vetustiss. ostendit tribus subscriptis punctis τὸ hoc, vulgatum, abundare* — 86. ,°Rusonem'[35]) — 96. *in omnibus scriptis cod. haec est interpunctio: laborant cum ventum.* — 130. *Alfinius Varus habent* 4 *cod. Bland. in adnotationibus apertissime* — 131. ,+ustrina' — 132. ,tonsor'. *erasis characteribus* — 4,15. ,accipiam' [III] — 18. ,°raro et perpauca loquentis' — 49. ,°insanus' [I, II] — 101. ,°procul afore' — 105. ,°me' — 110. ,Baius' [I] — 119. ,°possum' — 124. ,factum' — 5,25. ,°repimus' — 36. ,vatillum' — 51. ,+Claudi' — 67. ,nihilo deterius' — 68. ,°cur unquam' — 72. ,°paene macros arsit' — 6,13. ,°fugit' — 15. *quo nosti? populo.* (de interpunctione tantum disserit Cruquius) — 18. ,°longe longeque' — 29. ,quis homo est hic? quo pat. n.' — 31. ,et cupiat' [I, II] — 39. ,°Cadmo' — 49. ,°forsit' — 53. ,°possim' — 68. ,nec mala lustra' — 70. ,°si et vivo car. ami.' — 79. ,°siqui' — 96. ,°ho-

33) ,faciat', quod est in lemmate, mendum typographicum esse recte monuit Muetzellius (l. l. p. 856). —

34) Has duas scripturas esse expediendas Cruquii verba satis aperte docent (p. 327, a). —

35) Cruquii lemma est ,ut Rusonem', non ,et Rusonem', ut legit Mewesius. Praeterea respiciendum esse solum ,Rusonem' Cruquii verba plane docent. —

nestos fascibus' — 115. ,°laganique catinum' — 117. *omnes codices habent hanc interpunctionem: astat echinus vilis, etc.* — 126. ,fugio campum lusumque trigonem'. *sed supposita sunt puncta vulgataque lectio est adnotata.* — 130. ,°victurum' — 7,7. ,tumidus'. *sine coniunctione que* — 17. ,°pigrior' [II] — 20. ,+intus' — 21. ,°procurrunt' [II, III] — 8,2. ,°faceretne' — 9,2. ,°totus in illis'. *sine coniunctione expressa* — 3. ,°accurrit' [I, III] — 30. *in scriptis cod. Bland. invenio supra τὸ divina scriptum sortilega.* — 47. ,°velles si'. *sic habent omnes scripti cod. ita ut τὸ si postponatur verbo velles* — 50. ,+nihil officit' — ,°inquam'[36]) — 60. ,°agit' — 64. ,prensare' [I] — 10,1—8 *deerant in V* — 21. ,°quine' — 27. ,°Latini' [I, II] — 59. ,°ac'. —

II.

1,15. aut ,describit' aut ,describet' — 31. ,+gesserat' [I, II] — 47. ,°Cervius' — 69. ,°tributim' — 79. ,°hinc' — ,diffindere' — 83—86. *esto si quis mala. haec sunt Horatii percontantis Trebatium ad eum usque versum, solventur risu t. idque cum nota interrogationis in vetustissimo codice Bland.* — 2,1. ,°boni' — 3. ,abnormi' — 38. ,°ieiunus raro stomachus' [I, II] — 47. ,°Galloni' — 53. ,distabat' — 56. ,°ductum' — 58. ,° defundere' — 64. ,urguet' — ,°aiunt' — 65. °,qua' [I] — ,°offendat'[37]) — 77. *dubia? in omnibus scriptis adnotata est inter-*

---

36) Cruquii verba sunt haec: ,nihil mi officit . . . . Div. codex consentit lectioni vulgatae. Bland. 4 cum Tons. habent nihil officit, inquam'. Itaque Cruquius hoc loco non modo disputat de scripturis ,nil mi' et ,nihil', sed etiam de verbo ,inquam', quippe quod opponere videatur textus lectioni ,unquam'. —

37) Apud Cruquium legitur: ,hic versus varie legitur. in 4 codic. Bland. Busl. Nan. hoc modo: mundus erit, qua non offendat. ceteri habent qui; deinde alii habent offendit, alii offendet.' (p. 425, a). Itaque ne quis e Cruquii dicendi usu vocis ,qua' tantum rationem esse habendam concludat, quia deinde alios codices habere ,offendit', alios ,offendet' expresse dixerit, monendum censeo Cruquium, nisi quattuor Blandinii etc. habuissent ,offendat', e proferendi sua ratione primo loco posuisse id verbum, quod probat, vel quod textus,

rogationis nota — 79. ,°adfigit' — 83. ,°advexerit' — 91. ,+vitiaret' [I, II] — 95. ,occupet' [I] — 99. ,°as' — ,°Trausius' [I, II] — 106. ,+rectae' — 107. ,°uterne' — 123. ,°culpa potare magistra' — 124. ,°ac ven. Cer. ita cul. s. a.' — 128. ,°ut huc' — 3,4. ,at' — 22. ,°sculptum' [I, II] — 25. ,°Mercuriale' — 39. ,°angit' [I, II] — 43. ,°quemcunque' — 48. ,°insano' — 69. ,°scribe decem a Nerio' — 72. ,°ius' — 89. ,°vidisse' — 108. ,°qui' — 151. ,°haec' — 155. ,°tu' — 156. ,+oct. assibus' — 157. ,°pereamque' — 163. ,°tententur' — 169. ,°divisse' — 170. ,°hoc' — 180. ,°fueritve' — 183. ,°latus ut in circo' — 188. ,quaere'. *V ostendit aperte pro re syllaba erasa supra scriptum ro ab inepto aliquo et audaculo castigatore* — 189. ,at' — 191. ,reducere'. *fere omnia scripta* — 194. ,°putescit' — 208. ,veris [III] .... *sed s littera maiuscula adempta sequenti dictioni adscripta erat praecedenti* — 211. ,Aiax cum immeritos' — 216. ,rufam et posillam'. *sed supra o ponitur v* — 219. ,°quid' — 225. ,°vincet' [I, II] — 235. ,°verris' [III] — 238. ,°currit' — 245. ,°impenso' — 246. ,°notati' — 250. ,°si' — 251. ,+primus' — 255. ,+cubitale'. *verum in antiquissimo Blandin. videtur e littera esse adiecticia propter eius exilitatem, adeo ut autumem, ante scriptum fuisse cubital.* — 260. ,°agit ubi secum' — 274. ,°feris' — 283. ,°quid tam' [I, III]. *non autem assentior iis, qui τὸ unum iungendum ducunt pronomini me propter ἀκόλουθον et codicum Blandin. interpunctionem* — 301. ,°qua me stultitia' — 303. ,manibus'[38]) — 313. ,tantum' (priore loco) — 317. ,°tantum' — ,°sufflans' — ,°se' [I, II] — 4,2. ,vincent' [III] — 15. ,cole' — 28. ,°mitulus' — 37. ,°averrere' — 44. ,fecundae' — 62. ,+in mundis' — 66. ,°putuit' — 74. ,°invenior' [III] — 80. ,creterrae'. *quam lectionem sibi*

---

vel quod veteres editiones praebent, i. e. ,offendet'. Hoc igitur loco scripturae et ,qua' et ,offendat' codici V sunt assignandae. —

38) Cruquius: „demens. vetustissimus cod. Bland. habet manibus portavit Agaue". Sed illud ,portavit' in codice V certe non erat, nam cum Cruquius de verbis ,demens' et ,manibus' agat, hoc ,portavit' ex neglegentia quadam dicendi irrepsisse videtur, ut sententia tantum exprimeretur. —

incognitam corrupit sciolus quidam substituens eius loco craterae, a littera pro e scripta atque r erasa. verum non penitus hae litterae ita perierunt, ut ad primum obtutum in eo codice non appareant. — 5,18. ,°utne' — 36. ,quassa' — 38. ,°fi' — 41. *Fusius. in adnotationibus Blandiniis* — 61. ,°ede' — 87. ,⁺ut sic' — 90. ,°ultra' — 93. ,°increbruit' — 6,9. ,°denormat' — 10 ,⁺ille' 24. ,°urge' — 36. ,⁺novatae'. *antiq.* (in ed. a. 1573: *antiquiss.*) *cod. Bland. sine ulla litura.* — 44. ,°est — 70. ,°uvescit' — 77. ,°haec' — ,⁺vicinos'. *qui nominandi casus est* (*ut mihi videtur*) *antiquo more scriptus pro vicinus. quae scribendi ratio in iis codicibus frequens est praecipue in vulgus et vultus* — 82. ,°artum' — 92. ,°vis tu — 95. ,⁺bene' [I, II] — 108. ,°verniliter' [I, III] — 116. ,°valeas — 7,1. *haec satira in Bland. a superiore non est divisa.* — 13. ,doctor' — 17. ,°phimum' [I, III] — 18. ,°isdem' — 30. ,°usquam' — 31. ,°amasque'. *τὸ amas in omnibus scriptis adiungitur sequentibus* — 35. ,furisque' — 48. ,°intendit' — 58. ,°uri virgis ferroque necari' — 61. ,contractum ⁺ut'. *fere in omnibus* — 72. ,⁺visa' — 81. ,alii' — 83. ,sibique' — 97. ,Pacidiani' — 105—106. ,°qui tu impunitior illa quae parvo sumi nequeunt opsonia captas' — 109—110. ,°qui puer uvam furtiva mutat st'. — 113. ,°et erro' — 8,4. ,dic' [I, II] — 9. ,fecula' — 20. ,⁺pro me' — 35. ,°poscit' — 39. ,°Allifanis' — 40. ,°imi' — 50. ,°mutaverit' — 52. ,inlutos' — 53. ,⁺quo'. *et supra notatum eo* — 88. ,albae'. —

Epistularum libri.

I.

1,16. ,°mersor' — 19. ,°subiungere' — 28. ,°oculo' — 32. ,°quadam' — 33. ,°miseroque' — 55. ,°prodocet' — 62. ,°puerorum est' — 65. ,°qui rem facias' — 69. ,°aptat' — 94. ,°curatus' — 2,4. ,⁺plenius' [III] — 5. ,distinet' — 8. ,aestum' [III] — 23. ,°Circae' — 28. ,°sponsi Penelopae' — 31. ,cessatum' — ,somnum' — 32. ,°hominem' — 33. ,⁺atque' [III] — 34. ,°noles' — ,°curres' [I, II] — 38. ,°siquid' — 46. ,contigit is' . *sed per lituram, quod factum credo a sciolo, quia codex idem habet contingit* — 51. ,°domus et res' — 67.

‚°adbibe' — 3,1. ‚°militet' — 4. ‚+terras' — 9. ‚°Titius' — 30. ‚°sit' — 33. ‚+heu . . . heu' — 4,7. ‚°dederunt' [I, III] — 9. ‚°qui' — 5,1. ‚°archiacis' — 6. ‚°si' — 17. ‚°inertem' — 26. ‚+Brutam' — 28. ‚detinet: +ad summam' — 29. ‚°arta' — 6,1. ‚+properes' — 10. ‚°utrobique' — 12. ‚°metuatne' [39]) — 20. ‚°navus' — 22. ‚°mutus et indignum' — 30. ‚°hoc' — 42. ‚°quot' — 51. ‚°fodicet' — 7,5. ‚+colorque' — 22. ‚°paratus' — 34. ‚°compellor' — 69. ‚°providisset' — 93. ‚°ponere' [I, II] — 96. ‚+simul' — 8,6. ‚°agris' — 12. ‚+venturus' [III] — 14. ‚°utque' — 9,1. ‚°intellegit' — 2. ‚°nam cum rogat et pr. cogit' — 10,1. ad Aristium Fuscum grammaticum in urbe commorantem' — 3. ‚°at cetera' — 5. ‚+vetulis notisque columbis' . *sed in τὸ noti s littera suprascripta, sed in vetulis et columbis apposita* — 9. ‚effertis' — 13. ‚ponendaque' — 18. ‚°divellat' — 24. ‚°expelles' — 25. ‚+vestigia' — 28. ‚°propiusve' [II, III] [40]) — 41. ‚°quia' — ‚°nesciet' — 11,3. ‚minorave' — 7. *hic dialogus est, quantum licuit observare ex notis codicum Blandiniorum* — 20. ‚°ac' — 24. ‚+tu' [III] — 12,8. *sic vives protinus. hic in omnibus scriptis est interpunctio.* — 20. ‚°Stertinium' — 24. *hoc carmen in scriptis fere habet interpunctionem post τὸ annona* — ‚°dest' — 29. ‚°defundit' — 14,3. ‚°Variam' — 19. ‚qua' *et supra notatum ubi* — 28. ‚°disiunctum' — 15,1. ‚ad Numonium Valam' — 4. ‚°perluor' . *et supra notatum alias pervehor.* — 9. ‚+Clusinos' — 10. ‚°deversoria' — 16. ‚dulcis [II] aquae' — 32. ‚donarat' [III] — 35. ‚°agninae' — 40. ‚°bona' — 41. ‚°volva' [III] — 16,1. ‚Quincti'. *per c litteram* — 2. ‚°bacis' — 3. ‚+pomisve' — ‚an' — 7. ‚+cursu' — 8. ‚°quid? si' — 9. ‚+ni' — 40. ‚°medicandum' — 43. ‚°quo res sponsore' — 49. ‚°negitatque' [I, II] — 51. ‚°miluus'. *ut sit trissyllabum*

---

39) Prave monuit Kukula (l. l.) legendum esse ‚metuat ne.' Neque enim Cruquius id studet, ut ‚metuatne' utrum coniunctim an divisim legatur, narret, sed opponit ‚metuatne' alteri scripturae ‚metuatve' . (cf. ad sat. I, 10, 21, ubi Cruquius ‚ne' secernit a ‚qui').

40) Quin ‚potiusve', quod est in Cruquianis editionibus, error sit typographicus, nemo dubitabit.

— 61. ,°iusto sanctoque' — 63. ,°qui' [I,II] — 17,12. ,+inunctum' — 20. *splendidius multo est. hic omnes scripti habent interpunctionem, perinde ac si haec equus ut me portet, alat rex, officium facio sint eis coniungenda* — 21. ,verum dante' — 49. ,°quadra' — 18,15. ,rixatus' — 16. *propugnat: nugis armatus scilicet.* (de interpunctione sermo est) — 18. *acriter elatrem? in omnibus fere scriptis cum interrogatione leguntur.* — 20. ,+Minuti' — 28. ,°meae' — 56—57. ,°refigit nunc.' *sic habent omnes libri scripti cum interpunctione τὸ nunc ac τὸ et*[41]). — 93. ,°tepores' —98. ,°num' — 99. ,°num' — 107. ,et mihi vivam' [III] — 110. ,°neu' — 111. ,°sed satis est' — ponit' — 19,22. ,fidet' [I, II] — 23. ,reget' — 32. ,°Latinus' — 34. ,°ingenuis' — 39. ,°ultor' — 20,5. ,°descendere' — 13. ,°vinctus' —

II.

1,16. ,numen' — 28. ,Graiorum' [II] — 35. ,°chartis pretium' — 42. ,°respuat' — 69. ,°delendave' [I, II] — 103. ,°sollemne' . *omnes lib. scripti habent sollemne per ll duo et plures per m quam per duo n.* — 105. ,°rectis' — 114. abrotonum' — 122. ,°puerove incogitat' — 167. ,in scriptis' [II]. *sed supra notatum inscitiae* — 168. ,+accessit' — 173. ,°Dossennus' — 175. ,°demittere' — 186. ,°gaudet' [I, II] — 192. ,°petorrita' — 198. ,°nimio' [I,II] — 222. ,reprehendere' — 247. ,+Varusque' [III] — 262. ,+discet' — 269. ,°tus' . *tus autem sine aspiratione in scriptis est antiquis.* — 2,8. ,°imitaberis' [I, II] — 11. ,excludere' [III] — 16. ,laedit' — 22. ,°epistula' — ,°rediret' — 32. ,opimis' [II] — 36. ,mentes' (vel ,—is') — 46. ,°emovere' — 53. ,°expurgare cicutae' — 65. ,°Romaene' — 71. ,°purae' [I, II] — 80. ,+cantata' — 95. ,°vacas' — 98. ,prima' . *per lituram* — 123. ,+calentia' [III] — 158. ,°mercatus et aere est' [I, II] — 161. ,daturas' [III] — 167. ,quoniam' — 172. ,°sit proprium quicquam' — 197. *Bland. antiquissimus totus ad finem huius epistulae partim oblitteratus est, partim lacer.*

---

41) cf. Muetzell. l. l. p. 867.

De arte poetica.

49. ‚rerum et' — 53. ‚°cadent' [II, III] — 54. ‚°dabit' — 59. ‚°producere' — 72. ‚°ius' — 92. ‚decentem' — 154. plosoris' — 161. ‚°imberbus' — 193. ‚°actoris' — 196. ‚°consilietur' — 202. ‚°vincta' — 237. ‚°et' [II] — 249. ‚°fricti' — 266. ‚°intra' — 270. ‚°vestri' — 294. ‚praesectum' [II] — 318. ‚°vivas' — 319. ‚°locis' [I, II] — 328. ‚°eu' [I, II] — 330. ‚an' — 345. ‚+Sosis' [I, II] *per syncopen pro Sosiis.* — 353. ‚°ergo est' — 360. ‚°operi longo' [II, III] — 262. ‚°capiat' — 371. ‚°nec scit' — 378. ‚°summo' — ‚°decessit'[42]) — 385. ‚°faciesve' [II, III] — 393. ‚rabidosque' [II] — 394. ‚urbis' — 426. ‚quoi' . *antiquo more.* — 457. ‚°sublimis'. —

II.

De codicis Blandinii antiquissimi natura atque indole.

Omnibus, quae codici Blandinio antiquissimo recte ascribendae sunt, lectionibus e Cruquii commentario, qui dicitur, in unum congestis, cum iam de codicis indole atque auctoritate iudicandum sit, hoc munere ita fungi nobis liceat, ut primum omnia, quae ad Blandinii libri auctoritatem infirmandam a Kellero, iniquissimo eius obtrectatore, prolata sunt argumenta penitus dissolvere conemur, tum quibuscunque rebus codex Blandinius aliis omnibus Horatii libris scriptis maximopere excellat, explicemus.

§ 1.

Kellerus, cum per totum illum librum summa cum industria atque impigritate conscriptum, cui titulus est ‚Epilegomena zu Horaz', Blandinii codicis vim atque auctoritatem infringere studuit eademque in re saepissime tam iniuste se gessit, ut genuinas illius libri scripturas aut ne commemoratu quidem dignas putaret, aut quae reticeri non poterant, num revera fuissent in

42) Hoc loco utriusque lemmatis vocabuli rationem esse habendam ostendit textus Cruquianus, in quo legitur ‚a summo discessit'.

codice V, sine ulla causa dubitaret (cf. ad ep. I, 16, 43), pravas autem semper fere magno cum clamore prolatas vituperaret, neque ullis de ipso codice parceret verborum contumeliis, tum praecipue in eo capite, quod inscribitur „Principien und Leistungen der Herausgeber“ (p. 800—835) omnibus, quibus codicis V auctoritas prorsus irrita fieri videatur, argumentis in unum comprehensis in ea constitit sententia, ut hunc librum omnium, qui noti sunt, Horatii codicum contenderet esse deterrimum.

Atque ut omittamus eas omnes rationes, quibus etiam hoc loco Cruquii fidem, ut in suspicionem vocaret operam dedit, quippe quas supra satis aperte refutasse nobis videamur, primum tota Kelleri argumentatio admodum est infirma, quia non omnes codicis V lectiones congessit, sed partem tantum fere quintam colligere satis duxit, quo factum est, ut inter centum undeviginti scripturas, quarum de natura certe diiudicari posset, duodequadraginta esse falsas arbitraretur (l. l. p. 835). Quam rationem prorsus esse perversam plane docet ea, quam paulo infra (§ 4) proposuimus, lectionum tabula, unde non inter ternas, ut voluit Kellerus, sed inter septenas fere unam falsam exstare apparet. Verum cum de hac re postea copiosius sim dicturus, hoc loco id verbo notasse satis habeo.

Deinde Kellerus codicem Blandinium permultis lectionibus pravissimis corruptum esse contendit protulitque satis multas, quibus haec ipsa sententia probaretur (p. 801—802). Quae scripturae cuiusmodi sint videamus. Ac primum quidem vehementer miror, quod in earum numerum receperit scripturam ‚Rhecum‘ (c. II, 19,23), quae num revera in codice V exstiterit magnopere dubium esse ipse exposuit (l. l. p. 292—293). Tum lectionem ‚argivae‘ (c. IV, 6,25) in Blandinio codice fuisse unde Kellerus compertum habeat, nescio. Deinde lectiones ‚lividum‘ (c. I, 35,20), ‚phymum‘ (sat. II, 7,17), ‚portavit‘ (sat. II, 3,303), ‚remittit‘ (sat. II, 8,53) huc non pertinere iam supra exposuimus. Scripturas autem ‚accessit‘ pro ‚arcessit‘ (ep. II, 1,168), ‚Futidius‘ pro ‚Fufidius‘ sat. I, 2,12), ‚visa‘ pro ‚vasa‘ (sat. II, 7,72), ‚intus‘ pro ‚in ius‘ (sat. I, 7,20) meros esse pennae lapsus non lectiones pravissimas nemo erit, qui neget. Nonnullas autem alias lectiones putandas esse non

deterrimas verum optimas, in quibus ‚albae' (sat. II, 8,88), ‚fecundae' (sat. II, 4,44), ‚fugio campum lusumque trigonem' (sat. I, 6,126) paulo infra demonstrabimus. Praeterea scriptura ‚flexus' (c. IV, 6,21) probatur ab Hauptio et Luc. Muellero, quorum virorum ingenio adeo non diffido, ut eam habeam pro verissima. Necnon in reliquis reperiuntur, quae a viris doctis aut receptae aut commendatae sint. — Quibus rebus expositis e tota illa congerie restant paucissimae, quas merito quis dicat pravissimas. Quare Kellerum, quamvis sit ei odiosus codex Blandinius, non puto esse tam iniquum, ut huic libro non condonet has vel illas lectiones corruptas, cum nusquam terrarum reperiatur codex, qui non magis minusve sit depravatus.

§ 2.

Tertium Kelleri argumentum petitum est ex ea, qua omnes codices Horatianos distribuendos censet ratione. Nam cum tres codicum classes statui atque discerni posse arbitretur, eum, qui Blandinio libro in recensendis Horatii carminibus summam tribuat auctoritatem non optimam codicum familiam, verum sine ullo consilio ac ratione modo primam, modo secundam, modo tertiam sequi affirmat (l. l. p. 803). — Ac primum quidem tres codicum familias exstare neque aliis viris doctis Kellerus plane persuasit (cf. Ad. Kiessling, Deutsche Litteraturzeitung 1881, p. 1038; et Luc. Mueller. in praef. Horat. ed. a. 1879, p. VI—X), et ipse quam incerta esset haec res hisce verbis concessit: „Da die Handschriften sämmtlich an mehr oder weniger ausgebildeter Inconsequenz, an eingeschlichenen Lesarten anderer Classen kranken, so ist nicht immer eine strenge Sonderung möglich. Manche Handschriften sind bei zwei verschiedenen Classen anzuführen, ja an einzelnen Stellen schwankt sogar manche Handschrift selbst zu jener dritten Classe hinüber, welcher sie sonst mit Consequenz fremd gegenüberstand. Es ist also alles mit einiger Reserve zu nehmen und niemals kann eine einzige Handschrift als sichere Vertreterin einer Classe gebraucht werden etc.“ (p. 792). — Deinde qui Kellerum Blandinii codicis defensores sine ullo consilio ad Horatii carmina recensenda accedere exprobrantem ipsum aut semper aut certe plerumque eiusdem familiae lectiones cetera-

rum praeferre concludat, magnis tenetur erroribus. Quomodo igitur se habet via ac ratio Kelleri? Nonne semper fere coactus est, ut quotiescunque binarum classium lectio opposita est tertiae, illam proferret, duas familias semper plures esse quam singulas sexcenties cum gravitate quadam lectoribus ad oculos demonstrans, ut scripturam modo primae et secundae, modo primae et tertiae, modo secundae et tertiae genuinam statueret? Itaque Kellerus cum tres codicum familias secernere studeret, simul uniuscuiusque codicis naturam lectionibus ex aliis libris receptis adeo esse obscuratam demonstravit, ut in emendandis carminibus Horatianis iudicium magis quam codicum familiarum auctoritatem esset sequendum; quare is, qui Blandinium codicem antiquissimum verum crisis fundamentum statuit, non minus cum via ac ratione recenset contextum, qui vocatur, Horatianum, quam Kellerus fecisse ipse sibi videatur.

Jam vero Kellerus codicem V ut ex trium familiarum libris quasi permixtum esse, ita in aliis Horatii libris ad aliam classem accedere affirmavit. Quarum utramque sententiam perversam esse, ut perspicue cognosci posset, supra singulis codicis V lectionibus earum, ad quas quaeque pertinet, familiarum numeros uncis quadratis inclusos apposui exceptis iis, quae aut ab omnibus codicibus exhibentur aut certae classi assignari nequeunt. Quae si computantur quomodo inter se habeant, hac tabula liceat illustrare:

Familiae	I	II	III	I,II	I,III	II,III
Carm. I.			1	8		
Carm. II.	1			1	1	1
Carm. III.	2		3	7		2
Carm. IV.	1	1	3	2	3	2
C. saec.	1	1		1		
Epod.		1	3	4	5	1
Sat. I.	2	1	2	9	1	1
Sat. II.	2		4	10	3	
Ep. I.		1	8	5	1	1
Ep. II.		3	4	6		
A. poet.		3		3		3
Summa	9	11	28	56	14	11

Quae cum ita sint, codicem V non esse tam mixtum atque compositum, qualis ex Kelleri sententia videri possit, sed haud ambigue ad primam et secundam familiam vergere luce fit clarius [44]). Verum quae e tertia familia intraverunt scripturae non sunt tam multae, unde quid argumenti sit petendum, quia quot codex Blandinius illius classis exhibet lectiones tot etiam in alios omnes Horatii libros scriptos irrepserunt. Deinde hunc codicem in singulis Horatii libris ne varias quidem manuscriptorum classes sequi, sed semper trium familiarum scripturis aeque fere esse permixtum, manifestum est [45]). —

§ 3.

Quoniam igitur Kellero codicis Blandinii auctoritatem infringere minime contigisse neque quidquam esse demonstraverimus, cur eum non referamus in numero vel optimorum, iam eo progrediamur, ut quibusnam rebus aliis codicibus Horatianis permulto excellat explicemus. Quo in munere perficiendo magnopere adiuvamur eis scripturis, quae, cum in uno codice Blandinio antiquissimo exstiterint, cuiusmodi sit eius natura, quantumvis certe atque firme manifestant. Atqui hae ipsae minime

---

44) Quacum re optime concordat, quod ne Blandinius quidem codex exhibet octo illos versus, qui in satis multis tertiae familiae libris ante decimam primi libri satiram leguntur. —

45) Nil me adiuverunt graecanica illa vocabula in Horatianorum carminum inscriptionibus tradita, quae Kiesslingius (De Horatianorum carminum inscriptionibus commentatiuncula, Gryphiswald. ind. lect. aest. 1876) et Eduardus Zarncke (De vocabulis graecanicis quae traduntur in inscriptionibus carminum Horatianorum, Argentorat. 1880. — Idem, Weiteres über die sogenannten vocabula graecanica in den Ueberschriften der Horazischen Gedichte, Annal. Fleckeis. 1881, p. 785—801) ad codices in familias distribuendos adhibuerunt. Nam cum Cruquius (Epodorum ed. a. 1567, p. 18) illa graecanica, quae vocantur, vocabula non modo e Blandiniis, sed etiam e Buslidianis et Carrionis codicibus hausta professus sit, omnia quae in editionibus Cruquianis singulis carminibus praefixa leguntur, num referenda sint ad codices Blandinios admodum dubium est. —

sententiae nostrae fidem facerent, si eas praeter unam omnes falsas esse Kellero esset concedendum (l. l. p. 802). Sed ne hac quidem de re ille vir doctus recte iudicavit, quod argumentum sumpsit etiam ex iis lectionibus, quas, cum non integrae sed erasae vel obscuratae in codice V fuissent, valde dubias esse supra (I, § 8) exposuimus. — Quare in hac quaestione instituenda omittendae sunt hae: ‚Rhecum' (c. II, 19,23), ‚tonsor' (sat. I, 3,132), ‚quaere' (sat. II, 3,188), ‚contigit is' (ep. I, 2,46). — Deinde lectiones ‚lividum' (c. I, 35,20) et ‚portavit' (sat. II, 3,303) in codice V omnino non fuisse supra monuimus. Restant igitur duae tantum pravae scripturae ‚habili' (c. III, 19,24) et ‚quo' (sat. II, 8,53), quibus adicere possum lectionem ‚laetus' (c. IV, 6,28). — Verum scripturae ‚laedit' (ep. II, 2,16), ‚qui nemo ut' (sat. I, 1,108), ‚quoi' (a. p. 426), ‚versemur' (sat. I, 3,60), ‚Agylleu' (c. IV, 6,28), cum per se ferri possint atque a satis multis editoribus receptae sint, nescio an sint prorsus probandae, si Blandinium codicem esse optimum demonstraverimus. Nam cum tres tantum earum, quae uni codici V debentur, lectionum plane sint reiciendae, septem vere genuinas esse statuendum censeo.

Jam primum omnium, quas codex V praebet, lectionum notatu dignissima, quaeque sola apta sit, ut, qualis sit codicis Blandinii antiquissimi natura, plane demonstret, legitur ad sat. I, 6,126: ‚fugio campum lusumque trigonem'. Hanc scripturam hucusque omnes fere editores summo gaudio amplexi sunt praeter Holderum et Kellerum, qui, qua esse solet iracundia, ubicunque mentio fit codicis V, argumentis magis artificiosis quam ad persuadendum firmis eam e ceterorum codicum scriptura ‚rabiosi tempora signi' ortam demonstrare conatus operam et oleum perdidit. (Epil. p. 483—488. — praeterea cf. quae de hac re commentus est Holderus in Hermae vol. XII, p. 501—503). — Qua de re cum iam copiosius atque rectissime disseruerit Mewesius (Ueber den Wert etc. p. 19—24), ad eius ipsius verba lectores mihi liceat delegare, praesertim cum eius argumenta a Blandinii codicis adversariis nullo verbo sint infirmata. —

Deinde ad ep. I, 16,43 ex uno Blandinio codice antiquis-

simo servata est vera scriptura ,res sponsore'. Jam hoc loco, quibusnam argumentis Kellerus codicis V auctoritatem impugnaverit, plane fit perspicuum. Nam quandoquidem hanc lectionem esse verissimam nullo modo infitiari potest, ut ne scintillula quidem auctoritatis remaneret Blandinio libro, hanc scripturam omnino non fuisse in codice V, sed inventam a Cruquio subiectam esse illi libro contendit. Qua in re adeo non facere possum cum Kellero, ut Cruquium non modo in tradita scriptura ,responsore' offensurum fuisse prorsus negem, sed pro hebeti suo ingenio ne invenisse quidem hanc coniecturam felicissimam affirmem. Verum si quis hanc coniecturam Batavo quasi per somnum in mentem venisse suspicetur, non intellego, cur eam Cruquius, quamvis sit modestus, ipsius codicis auctoritate fulserit, cum alias emendationes admodum absurdas proponere minime dubitaverit (cf. Mewes. l. l. p. 13). —

Jam transeamus ad alias duas lectiones, quas etsi probatae sint ab omnibus fere viris doctis, tamen Kellerus, quia in uno codice V traditae sunt, ira et studio impugnare sibi proposuit. Agendum enim nobis est de duobus locis simillimis, quorum alter est sat. II, 8,88, alter sat. II, 4,44. — Ac priore quidem in versu codex Blandinius vetustissimus exhibet ,anseris albae' (Gothanus ,albe'), ceteri ,anseris albi'. Quam veram scripturam esse censet Kellerus, cum pluribus locis, quibus ,anser' est masculini generis, prolatis, ,albae' non modo quaesitam esse dictionem sed etiam a dicendi usu abhorrere animadvertat. Verum iam Bentleius antiquissimi Blandinii lectionem minime esse contemnendam affirmavit, quia Horatius apte exprimere videretur ineptam *περιεργίαν* Nasidieni, quippe qui anserem non modo albo colore sed etiam femininam esse convivis exponere vellet. Quam ad sententiam confirmandam permultum valere censeo, quae Ritterus et Kruegerus in editionum adnotationibus explicaverunt. Nam verba ,anseris albae' eo, quo Bentleius interpretatus est, modo intellegenda esse demonstrant antecedentis versus verba ,gruis sparsi'. Quamquam enim ,sparsi' sine ulla differentia in omnibus codicibus legitur, tamen vocem ,grus' plerumque feminine usurpatam esse constat (cf. Gell. N. A. VII, 16. — Stat. Silv. IV, 6,8. — Cic. Nat. Deor. 2,49.

— al.). Quare Horatium, ut ineptam Nasidieni garrulitatem efficacissime depingeret, horum verborum genera consulto atque considerate immutasse apparet. Ad haec virorum doctorum argumenta hoc habeo adiciendum. Horatius enim, ut nimiam palati sollertiam atque stulta praecepta culinaria vituperet, horum pecudum mares, aliorum feminas ad cibum parandum imprimis esse idoneos etiam alio loco iocose narrat: sat. II, 4, 12—14:

„Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
„Ut suci melioris et ut magis alba rotundis,
„Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum."

Alter locus, quem tractandum nobis proposuimus, est sat. II, 4,44:

„Fecundae leporis sapiens sectabitur armos".

Codex enim Blandinius contra aliorum manuscriptorum consensum, qui habent ‚fecundi', exhibet ‚fecundae'. Ac plurium quidem codicum scriptura ita est intellegenda, ut ‚fecundi' sit epitheton, quod dicitur ornans, id quod hoc loco eo aptius esse Kellerus affirmat, quia leporis fecunditas iam in proverbium cesserit. Sed tale epitheton ornans in iis, de quibus agitur, praeceptis culinariis prorsus ineptum est, neque Horatium semper tam polita tamque venusta oratione usum ad proverbium sermone quotidiano tritum respexisse animum inducere possum. Quare etiam si nulla codicum differentia exstaret, in lectione ‚fecundi' me offensurum esse affirmo. At vero ‚fecundae leporis' idem est atque ‚praegnantis', quem vocis ‚fecundus' usum non esse insolentem ex Ovidio (Metam. II, 472) apparere Kruegerus recte monuit. Ceterum quomodo res se habeat, facillime est intellectu. Nam Horatius ut per totam hanc satiram homines gulosos gulaeque voluptates insectari sibi proposuit, ita hoc, quem tractamus, versu inepta carpit praecepta culinaria. Praeterea ad hunc locum ea conferenda puto, quae Horatius (sat. II, 8, 43—44) a Nasidieno de muraena dicta finxit:

„ . . . . . haec gravida, inquit,
„Capta est, deterior post partum carne futura". —

Porro verba faciamus de alio loco. Nam ad c. I, 31,18 omnes codices praebent ‚at', praeter Cruquianos, qui exhibent

‚ac'. Lambinus autem scripsit ‚et'. Verum ab hac scriptura, cum ne uno quidem codice confirmetur, licet optime quadret, proficiscendum non erit. Quaerendum igitur, utrum ‚at' praeferendum sit an ‚ac'. Atque si ‚at' legitur, quomodo in antecedente versu intellegendum sit ‚et', difficile est dictu. Illud enim ‚et' duobus modis interpretari possumus: aut totam hanc strophen adiungit antecedenti, aut coniungendum est cum verbo ‚valido', ut eandem vim habeat atque ‚etiam'. Ac si priorem interpretationem amplecteremur, sic esset vertendum: ‚Mich nähren Oliven, mich Endivien und leichte Malven. Und gestatte mir Diana, dass ich das Erworbene in Gesundheit geniesse etc.' Praeterquam vero quod sic sententia aliquantum fieret languida, haec stropharum coniunctio ne ferri quidem potest. Verum enim versus 14—16 pertinent ad antecedentia, ut Horatius iis, qui in divitiis summum ponant bonum, ipsius vitae opponat frugalitatem. Deinde a versu septimo decimo incipit prorsus nova sententia poetae adeuntis Dianam, ut valido corpore se bonis frui et integra cum mente iucundam senectutem degere patiatur. — Contra qui ‚et' coniungit cum ‚valido' hoc modo vertit: ‚Verleih', dass ich das Erworbene auch in Gesundheit geniesse, aber — eine Einschränkung muss ich machen — nur zugleich im Vollbesitze meiner geistigen Kräfte' (Kellerus). Sed quid illud ‚et' sibi velit, non intellegitur, cum antea nondum poeta quidquam a Diana petierit. Nam ne ea quidem de causa ‚et' ferri posse videtur, quia Horatius iam in antecedentibus de bonis, quibus fruatur, dixerit, ut haec sit sententia: ‚ich besitze ein mässiges Gut, lass mich dasselbe aber auch in Gesundheit geniessen'. Nam ut iam supra monui, hae sententiae omnino sunt secernendae. Verum etiam ut concedamus illud ‚et' eam vim habere, ut aut adiungat hanc strophen antecedenti aut idem valeat atque ‚etiam', tamen ipsa sententia admodum mire videtur mihi expressa: ‚(Und) lass mich das Erworbene (auch) in Gesundheit geniessen, aber unter der Bedingung, dass ich bei hellem Verstande bin . . .' Nonne potius exspectantur haec verba: ‚velim et frui bonis paratis valido corpore, et integra cum mente senectutem degere nec turpem nec cithara carentem'? Atque ita quidem Lambinus

hunc locum restituere conabatur, cum pro ‚at' scriberet ‚et'. Sed puto eandem effici sententiam, si cum Cruquii codicibus legitur ‚ac', quod respondeat antecedenti ‚et'. Quam responsionem verborum ‚et' atque ‚ac' non esse alienam a sermone latino nonnullis exemplis confirmatur (cf. Draeger, hist. Synt. II, p. 77. — Kühner, Ausführl. Gramm. II, p. 652,b). Nam ad Cic. de nat. deor. I, 19,50 optimi codices A et P praebent „summa vero vis infinitatis et magna ac diligenti contemplatione dignissima est", qua in scriptura Ciceronis editores neque Orellius et Baiterus, neque Klotzius offenderunt. Item apud Quintilianum (XII, 10,64) leguntur haec: „vim orationis nivibus hibernis et copia verborum atque impetu parem", ubi Zumptius et Bonnellius sine causa ‚atque' contra codicum consensum mutaverunt in ‚et'. — Incerti sunt hi loci: Tac. dial. 14, qui corruptus videtur esse, et Suet. Claud. 21. „quae utraque et tofina ac lignea antea fuerant", ubi ‚et' per dittographiam esse natum Madwigius (ad Cic. de fin. p. 288) suspicatus est. Verum constat idem ille dicendi usus ad Diomed. gramm. p. 463. et Lactant. V, 9,22. — Quae cum ita sint, non temere hoc loco Blandinii antiquissimi lectionem ‚ac' ut vere genuinam restituere videamur, nam ut iis, quos supra attuli, locis vox ‚ac' gradationis cuiusdam vim habet, ita Horatius etiam hoc loco non iterum ‚et' sed ‚ac' posuit, ut quantum suum interesset, se senem esse integra cum mente, efficacius exprimeret. Verum per vocabula ‚et .... ac' non opponi notiones ‚valido' et ‚integra cum mente' monendum censeo, sed omnino totae sententiae, ut sic poetae verba sint ordinanda: „Dones, Latoe, et frui paratis valido mihi, et integra cum mente degere senectutem nec turpem nec cithara carentem". Itaque alterum enuntiatum vocabulis ‚nec ... nec' subdivisum est. — Hoc igitur loco scripturam unice veram e solis codicibus Cruquianis asservatam videmus, quamquam Kellerus (in Epilegomenis et Mus. Rhen. vol. XVIII, p. 275) vehementer dubitat, num revera fuerit haec scriptura in codice V, cum Cruquii adnotatio admodum sit incerta. Est enim haec: *„ac. sic legendum est, ut habent scripti cod. non at, ut habent vulgati .... quidam scripti habent atque"*. Ac primum quidem verbum *‚vulgati'*, quippe quo Cruquius Horatii

editiones impressas significare soleat, nil habet dubii. Tum per verba ‚*quidam codices*' intellegi vult manuscripta minoris pretii, certe non Blandinium antiquissimum. Praeterea scriptura ‚atque' et ipsa commendat lectionem ‚ac'. Quare nihil est, cur Cruquii adnotationi fides non tribuatur, praesertim cum ea ipsa Divaei codicis lectione confirmata videatur. (Matthias de hoc loco nihil enarravit). —

Deinde Blandinii scriptura ‚tantum', quae legitur ad sat. II, 3,313, quin verissima sit, iam Bentleius criticis omnem dubitationem adeo sustulit, ut in commendanda ea nullum ultra verbum et operam a me insumi opus sit, praesertim cum Kellerus Bentlei argumenta adeo neglexerit, ut ne verbo quidem ea tangeret. —

Denique lectionem quandam, quae, etsi non exhibeatur uno codice Blandinio antiquissimo, tamen praeter hunc in paucissimis tantum deterioribus libris scripta legitur, hoc loco tractare fortasse non est absurdum. Plurimi enim atque optimi codices ad c. IV, 4,73 praebent ‚perficient', nonnulli ‚perficiant', Blandinius antiquissimus cum Turicensi ‚perficiunt', quam scripturam receperunt Hauptius (Vahlenus), Luc. Muellerus, Dillenburgerus (cf. diar. gymn. Berol. a. 1881, p. 336), Schuetzius, C. Nauckius. Et puto eam esse solam vere genuinam. Nam Hannibal antecedente stropha Hasdrubalis, cuius in auxilio magnam spem collocaverat, cladem ad Metaurum flumen per Claudium Neronem acceptam summopere conquestus, cum ultimam sibi spem salutis videat praecisam, nuntio huius calamitatis tamquam fractus et dolore oppressus exclamat „Nil Claudiae non perficiunt manus"[46]). Deinde futurum tempus ne ferri quidem posse, aperte docet, quae sequitur, sententia, id quod dilucide perspiciemus, si hos versus vernacule verterimus: ‚Nichts wird den Armen der Claudier unmöglich sein — und scharfsichtige Achtsamkeit führt glücklich durch die Klippen des Krieges'. Quas sententias non esse concinnas manifestum est. Praeterea in hac strophe ‚manibus' i. e. fortitudini Claudiorum consulto a poeta opponi monendum est ipso-

46) Versus 73—76 Hannibali, non poetae esse tribuendos nunc inter omnes constat.

rum diligentiam cum ingenio ac prudentia coniunctam. Ergo flagitatur, ut in utraque sententia idem tempus legatur. Itaque cum praesens ‚expediunt' in omnibus fere codicibus traditum sit, etiam ‚perficiunt' e Blandinio vetustissimo recipiendum erit.

Quoniam igitur ex eis, quae uno codice V exhibentur, lectionibus longe plurimas nec pravas nec supervacaneas, sed Horatii ingenio esse dignissimas vidimus, iam inde librum Blandinium minime esse neglegendum apparet. —

§ 4.

Jam si quis etiam nunc de Blandinii codicis praestantia dubitet, ut omnes eius ex animo evellamus scrupulos, quot verae quot falsae in eo reperiantur lectiones, postquam prima paragrapho obiter tantum commemoravimus, nunc copiosius nobis exponere liceat. Quam ad quaestionem recte solvendam primum omnes, quascunque in lituris Cruquius se repperisse confitetur scripturas, tamquam admodum dubias atque incertas omittamus. Dico autem hos locos: c. I, 12,3; II, 3,1; 11; 19,23; III, 27,7; IV, 1,10; sat. I, 3,132; II, 3,188; 4,80; ep. I, 2,46; II, 2,98. — Deinde omnes res illas pusillas hoc loco neglegamus, quae prorsus nullius momenti sunt ad iudicandam codicis V naturae praestantiam. Huc enim pertinent, quae Cruquius de interpunctione satis multis locis tradidit: c. I, 11,1; 3; 12,13; 28,30; III, 11,30; sat. I, 2,101; 3,29; 96; 6,15; 117; sat. II, 1,86; 2,77; 3,283; ep. I, 12,8; 24; 17,20; 18,16; 18; 57, deinde quae de versuum dispositione narravit ad c. I, 4 et ep. 13 Denique rationem ne habeamus carminum inscriptionum, quae traduntur ad c. I, 4; II, 8; epodos; ep. I, 10; 15. — Itaque restant sexcentae sex lectiones, quarum si eas, quas antecedente paragrapho tractavimus, genuinas esse statuimus, quadrigentae tredecim sunt verae Horatii scripturae, septuaginta una falsae, centum viginti duae sunt dubiae. Ac ne quis putet eas, quas vocavi dubias, lectiones esse eiusmodi, ut pravae potius habendae sint quam verae, unamquamque ex numero earum aut a plerisque aut ab hoc vel illo viro docto defensam et in textum receptam esse animadvertendum est. Huc accedit, quod satis multae ex eis non modo in Blandinio vel paucis aliis sunt traditae, sed ab

omnibus fere, qui ad nos pervenerunt, codicibus aeque commendantur, ita ut eas genuinas esse valdé sit verisimile. (cf. c. I, 1,13: ‚dimoveas'; 23,1: ‚inuleo': 23,5: ‚veris inhorruit adventus'; c. II, 14,27: ‚superbo'; 17,14: ‚gigas'; III, 4,69: ‚gigas'; 6,9: ‚Monaesis'; 7,4: ‚fidei'; 27,15: ‚vetet'; c. IV, 2,49: ‚teque dum procedis'; sat. I, 1,81: ‚adflixit'; 101: ‚Naevius'; 4,110: ‚Baius'; 5,36; ‚vatillum'; sat. II, 2,53: ‚distabat'; 7,83: ‚sibique'; ep. I, 11,3: ‚minorave'; II, 1,222: ‚reprehendere'; 2,167: ‚quoniam'). Praeterea insunt permultae, quas tametsi puto vere esse genuinas, cum nondum ab omnibus vel plerisque receptae nec novis a me argumentis sint defensae, assignabo dubiis, ne si tribuam bonis, cum studio quodam codici V propugnare videar. (cf. c. II, 13,38: ‚laborum' [cf. Dillenburger. l. l. p. 328—329]; c. IV, 24,4: ‚publicum'; c. saec. 65: ‚aras'; ep. 17,33: ‚virens'; sat. I, 1,38: ‚sapiens' [cf. Schuetz.]; 4,15: ‚accipiam'; sat. II, 7,81: ‚alii'; ep. I, 10,9: ‚effertis'; ep. II, 1,28: ‚Graiorum'; 2,161: ‚daturas'; al.)[47]). — Quae cum ita sint, eam, quae est inter vere genuinas et pravas codicis V lectiones, condicionem dubiis, quas dixi, scripturis certe non ita immutari apparet, ut si semper, quaenam ex dubiis sint genuinae quaeque falsae, diiudicari posset, singulis falsis lectionibus pauciores opponi possent genuinae, quam si vere tantum bonas et pravas respiciamus. — Itaque ut quot in singulis Carminum, Satirarum, Epistularum libris exstent verae et falsae lectiones, uno quasi conspectu cognoscamus, hanc mihi proponere liceat tabulam:

	Verae	Falsae	Dubiae	Summa
Carm. I.	44	6	9	59
Carm. II.	12	3	9	24
Carm. III.	35	6	8	49
Carm. IV.	17	2	12	31
C. saec.	7	1	1	9
Epodi	29	5	4	38
Sat. I.	59	7	18	84
Sat. II.	85	16	24	125
Epist. I.	80	19	18	117
Epist. II.	22	5	11	38
Ars poet.	23	1	8	32
Summa	413	71	122	606

47) Unum locum copiosius tractare mihi liceat. Nam propter temporum differentiam quaestio est instituenda de ep. I, 15,32. Alii

At vero iniuria atque immerito Kellerus (Epil. p. 835) Cruquium genuinas tantum Blandinii antiquissimi lectiones protulisse, pravas consulto atque considerate reticuisse contendit. Nam ut alia omnia, quae ille vir doctus ad huius codicis auctoritatem impugnandam protulit, ita ne hoc quidem demonstrari, verum refelli potest. An quis putat Cruquium consulto eas, quas pro falsis habebat, codicis V lectiones cum lectoribus communicare noluisse, cum idem vir saepissime Blandinii antiquissimi vel omnium Blandiniorum scripturam disertis verbis reiecerit? (cf. ad c. I, 21,5; 27,19; c. III, 10,6; ep. 2,18; al. mult.) Atque adeo Cruquium falsas lectiones non reticuisse suspicor, ut hunc virum omnes, quae a vulgatis discedebant, inprimis attulisse autumem, scilicet ut codicem tam praestantem viris doctis quam diligentissime atque copiosissime describeret. Contra plurimas, quae quin genuinae essent, ne dubitari

---

enim codices exhibent ‚donabat', alii cum Blandinio ‚donarat', quod Bentleius non recte mutavit in ‚donaret'. — Ac Lehrsius quidem et Ribbeckius versus 31—32 e textu removerunt, quia Maenius omni pecunia absumpta tot cibaria in macello emere iam non potuisset, et ii ipsi versus nil aliud esse viderentur nisi stulta interpretatio versuum 26 et 27 glossematis loco adscripta. Volunt igitur illi viri docti versus 26—30 et 33—37 uno enuntiato complecti. Sed sic verborum structura nimis fit dura ac molesta. Aliter hunc locum restituere conatus est Doederlinius, qui recepit ‚donarat' puncto posito post ‚saevus', semicolo post ‚avaro' et in versu 33 ‚hic' mutato in ‚hinc', ut haec esset sententia: ‚postquam omnia ventri donavit'. Equidem nego opus esse poetae verba corrigere. Neque enim versus 31 quidquam miri habet, quia cum paulo infra Horatius expositurus esset, quantam copiam Maenius eduliorum vorarit, bene eum appellare poterat *perniciem*, *tempestatem*, *barathrum macelli*. Versus autem tricesimus secundus non ita interpretandus est, ut a Maenio omnem rem familiarem ventri esse datam intellegatur (quia sic Horatius bis idem dixisset), sed vertendus est hoc modo: „was er sich verschafft hatte, das hatte er auch schon verschlungen". Sic optime haec verba interpretantur antecedentia ‚barathrum macelli'. (Exempla huius plusquamperfecti temporis usus vide apud Kühnerum, Ausführl. Gramm. II, p. 107, 3.) —

quidem posse arbitrabatur, silentio praeterivit, quare si codex V ad nos pervenisset, certe multo plures lectiones genuinas eruere possemus. Sed iam eae, quas ex Cruquii commentariis contulimus, scripturae satis sunt multae, unde codex cuiusmodi fuerit, plane cognoscatur. Nam inter septenas lectiones unam tantum pravam inveniri cum ex illa, quam supra exhibuimus, tabula perspici possit, Blandinium antiquissimum aliis omnibus codicibus integritate antecellere efficitur. Nam in prima atque optima ex tribus, quas Kellerus credit, codicum familiis in senis lectionibus singulae insunt pravae (Epil. p. 834). Atqui si ex falsarum lectionum numero eximamus meros pennae lapsus (cf. c. I, 4,76: ‚peracuta' pro ‚per acuta'; sat. I, 2,12: ‚Futidius' pro ‚Fufidius'; 7,20: ‚intus' pro ‚in ius'; sat. II, 4,62: ‚in mundis' pro ‚immundis'; 7,92; ‚visa' pro ‚vasa'; ep. I, 6,1: ‚properes' pro ‚prope res'; ep. II, 1,168: ‚accessit' pro ‚arcessit'), singulis pravis lectionibus octonae fere opponi possunt genuinae. —

§ 5.

Blandinium codicem ceteris omnibus, qui adhuc asservantur, Horatii libris manuscriptis ut auctoritate ac praestantia, ita etiam vetustate adeo antecellere qui putat, ut cum Cruquio (p. 308, a; 647) eum iam nono saeculo exaratum esse suspicetur, nescio an eximia huius libri natura captus tribuat eum aetati nimis vetustae. Hoc enim unum, atque unum quidem, Kellero (Epil. p. 802) est concedendum codicem V non esse tam vetustum, quam plerique viri docti Cruquii iudicium amplexi censere videantur. — Primum enim, quin litteris minusculis descriptus fuerit ne dubitari quidem posse ostendunt, quae ad nonullos locos a Cruquio adnotata leguntur: c. III, 8,5: „sermonis in Bland. codicibus per I maiusculum scriptum est etc.". Tum ad c. III, 3: „in antiquiss. cod. Bland. haec ode nec inscriptione nec litteris maiusculis a praecedente separata est". Deinde ad sat. II, 3,208: „veris .... sed s littera maiuscula adempta sequenti dictioni adscripta erat praecedenti". Praebebat igitur codex V hanc scripturam ‚veriS', unde eum non ante saeculum decimum exaratum fuisse haud

temere concludas (cf. Wattenbach, Anl. z. lat. Palaeographie, p. 15: „vom 10. [Jahrh.] an findet sich S allein hin und wieder am Ende, zuerst so uS, iS") Quoniam igitur habemus tempus, ante quod liber Blandinius exaratus esse nequit, iam videamus num quis terminus definiri possit, post quem hunc librum descriptum esse verisimile non est. Atque si ea, quam supra proposui, coniectura de scriptura verbi ‚sermonis' (c. III, 8,5) per l longum quid verisimilitudinis habeat, codex Blandinius non serius, quam undecimo saeculo exaratus est. (cf. Wattenbach, l. l. p. 8). —

Quae cum ita sint Blandinius codex etsi per se non mereatur nomen antiquissimi, tamen me prorsus assentientem habent Hirschfelderus (l. l. p. 23) et Mewesius (l. l. p. 16 ss.), qui eius archetypum litteris quadratis exaratum fuisse suspicati sunt. Exstant enim in eo nonnullae lectiones corruptae, quae quomodo natae sint, facillime est intellectu, si Blandinium codicem e libro maiusculis formis scripto manasse statuamus: sat. I, 2,12. ‚FVTIDIVS' pro ‚FVFIDIVS'; 7,20. ‚INTVS' pro ‚IN IVS'[48]); sat. II, 3,251. ‚PRIMVS' pro ‚TRIMVS'. Huc pertinent etiam ii loci, quibus duo vocabula in unum contracta leguntur, ut c. IV, 4,76. ‚peracuta' pro ‚per acuta'; sat. II, 6, 36. ‚novatae' pro ‚nova te'; ep. I, 6,1. ‚properes' pro ‚prope res'; vel unum in duo distractum, ut sat. II, 4,62: ‚in mundis' pro ‚immundis'; ep. I, 5,28: ‚ad summam' pro ‚adsumam'. — Quodsi igitur Blandinius codex exaratus est tempore seriore, tamen e fonte satis vetusto fluxisse videtur. —

Jam quae de codicis V natura atque indole hac dissertatiuncula exquisivimus, ut paucis comprehendamus, iis omnibus rebus, quibus optimi codices distinguuntur a deterioribus, conspicuus est liber Blandinius. Primum enim satis multis locis in eo solo vera Horatii manus servata est, deinde a corruptis lectionibus integrior quam ceteri codices Horatiani exstabat, ad postremum

48) Scriptura ‚intus' certe falsa est, nec debebat defendi a Schuetzio. — Lectionem ‚gesserat' pro ‚cesserat' (sat. II, 1,31), quippe quae plerisque codicibus exhibeatur, male argumenti loco sumpsit Mewesius. —

repetitus videtur e libro antiquissimo. Atque viri litterarum Latinarum studiis inclutissimi quique a vero crisis Horatianae fundamento in codice Blandinio, qui vocatur antiquissimus, posito, nunquam discesserunt; verum si aliis viris doctis, qui iam ad Kelleri sententiam inclinaturi videntur, codicis Blandinii auctoritatis fidem feci, non mihi videbor operam perdidisse. —